











250

XV

TEREL

DE GENERATIONE ET PARTV HOMINIS,

Libri duo:

AVTHORE DOMINICO Terelio, Medico Lucensi.



LVGDVNI,

Apud Alexandrum Marsilium, Lucensem.

M. D. LXXVIII.

Ex legato D. Equitis Antonii Francisci de Marmis



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

D. D. Georgio Armenidcho, Sacros. Rom. Eccl. Cardinali, Collegato, atq; Archiepisco-po Auenionensi, Dominicus Terelius, S.



VAM VERE Pythagoras ille dixerit (Illustriss. ac Reuerendiss. Cardinalis) Hominē esse Diuinam mētem terrenis vinculis alligatam, coniectare liceat ex iis quæ nouit, & sapit: ita

Ce cayé va apres la 1. page, où est la marque.

enim quandoque Intellectus lumine abditissima quæq; Naturæ rimatur, vt quæcũq; voluerit videat & cognoscat; id quod (si probatione aliqua opus sit) manifestissimũ inde fiat, illum in Generatione suimet, sic ad vnguem eam obseruasse, vt optimè nouerit eius admirabile artificium, quo vtitur in illo constituendo; cùm enim primò obseruarit principia suæ constitutionis esse in Masc. & Fœm. separata, optimè Naturam illorum explorans, rationem inuenit, cur ex eorũdem mixtione illum nasci necesse sit: postmodum cognoscens quomodo partes corporis paulatim efformentur ex iis, edoctúsq; modum nutritionis illarum, & augmenti, donec in lucem edatur, subtilissimè illo tempore multa arcana Naturæ scrutando, Intellectus acumine illò peruenire videtur, vt rationes afferre possit, cur tot temporibus variis illum oriri contingat; & sic pulcherrimo isto ordine cum se conseruari perspexerit, ex Naturæ'met penetrali-

bus

bus ſecreta quaſi depromens, opem illis aſferre quærit, qui tributum hoc reddere illi nequeunt. Hæc omnia, vt plura alia (Ampliſsime Cardinalis) Mente illa Diuina circa ſui Generationem agitans Homo, aſſequutus eſt, vt multi poſtea memoriæ tradiderunt, & à me (quibuſdam ad hoc ſuadentibus) ex monimẽtis probatiſsimorum authorum fuerunt collecta; quæ quidem an in lucem egredi ſinerẽ, diu multúmq; anceps fui, cùm illud periculi me poſſe ſubire coniiciebã, quòd incomptè nimis ederetur hic meus Fœtus; vnde ſicut apud Alcmænã digiti pectinatim flexi Lucinæ Partum Herculis protrahebant in longum, ita propter illud ego deterritus, hunc in lucẽ egredi non ſinebã: verùm poſtquã (optime Antiſtes) conieci oculos in te vnũ, quaſi & ipſe à Latonę Gallo ſumptis auſpiciis, & adiutus à Galanthide ancilla, tandem paſſus ſum edi in lucem, iſtud quidem probè

cognoſcẽs, quòd, te Patrono, Minerua mea fiet illuſtrior, ac tuæ authoritatis odore à quacunq; faſcinatione ob liuorem Hominum tuta, poterit in longum ſeruari, & ſi etiam ferè Octimeſtris ædita ſit: quis enim animi tui dotes, & ornamẽtum non nouit? quis ſplendorem tuum tuæq́; Familiæ non videt? cui nõ eſt indicata gloria tui nominis? id Auenio teſtetur, cui tanta benignitate & humanitate præes, vt meritò laudibus vnuſquiſq; te vno ore ad Cœlũ efferat: ita enim omnibus per te pendet æqua Lanx iuſtitiæ, ac ſic illam pietate quadam cõcomitaris, vt Iuſtiſsimum, ac Piiſsimum oẽs iure optimo dicant; quibus additur, te cæterarum virtutum ſic Amantiſsimũ eſſe, vt in te ipſo ſicut in quodam ſpeculo ſplẽdidiſsimè omnes luceant; inter quas illæ omnium fulgentiſsimæ ſplendẽt Charitas, & Chriſtiana Religio, quarũ tanto flagras amore, vt ſacras ædes tuis ſumptibus con-

ſtruend

ſtruendas cures, Pauperibus multis quotidianũ victum ſuppedites, Religioſiſq; pluribus ſanctè ſemper multa condones. Accipe igitur (Mundi Decus) elucubrationes has meas, hoſq; meos paucos labores hilari fronte (precor) ſuſcipias, in quibus & ſi non elimatum, ornatúmq; dicendi modũ reperies, vt par eſſet; Fabricam tamen Humani corporis ita artificiosè, fabréq; factã fuiſſe perlegendo cognoſces, vt admiratus Artificis ſapientiam, verè dices, Manus Domini plaſmauerunt me. Vale, diu fœlix, & foueas nos gratia, & patrocinio tuo. Auenione, Idib. Martij, 1578.

AD LECTOREM.



Aec ſunt, humaniſſime Lector, quæ circa Generationem & Partum Hominis, breuibus quidem, ſed clariori modo quo fieri potuit, edidiſſe volui. Si cum hac breuitate, explicatis res tuum animum acquieuerit, me fruſtra hunc laborem nõ ſubiiſſe cognoſcam; ſin minus, cognoſces ſaltem, me ſummopere ſtuduiſſe in hoc tibi voluiſſe gratificari, vt ſemper quidem conabor gratum facere & obſequi, vt qui ſciam, te non eſſe ex illorum numero, qui ſemper liuore quodã, hominum ſenſa diiudicare volunt. Vale.

DOMINICVS TERELIVS.

CAPITA LIBRI PRIMI.


QVOD variæ fuerint Antiquorum opiniones circa primã Generationẽ Hominis, & quòd omnes conueniant, in modo successoris illius. caput 1.
Ostenditur Necessitas coniũctionis maris cum fœmina, ad hoc vt homines in specie sua conseruari possint cap. 2.
Cur debeat generari semen, & quomodo generetur & in quo loco caput 3.
Quam facultatem habeant testes, & quòd semẽ à toto corpore non deueniat caput 4.
Diluuntur aliç quædam rationes, quibus creditur à toto semẽ decidere, vel à quibusdam aliis partibus, caput 5.
Quod semen vocari potest animatum, & non animatum. caput 6.
Quomodo generet menstruũ in muliere, & quomodo intelligẽdum sit in generatione locum habere. caput 7.
An voluptas in coitu sit maior in viro, quam in muliere & quomodo mulieres semẽ habeant. caput 8.
Ostenditur quomodo nutriatur, & augetur semen virile, in Vtero mulieris. caput 9.
De tribus membranis quibus inuoluitur Fœtus. caput 10.
Quòd Hepar sit primum membrum quod generatur. ca. 11.
Quomodo intelligendũ sit venas ab hepate ortum ducere. caput 12.
Quòd dentur spiritus Naturales, & quomodo Naturalis Facultatis dicatur Hepar esse Principium caput 13.
Quomodo generetur Cor, & cur Mors ineuitabilis sit. c. 14.
Ostenditur Cerebrũ esse Partem principalem ipsius corporis, & esse principium Animalis Facultatis atq; neruorum caput 15.
Ostenditur semen non solum Formaliter, sed materialiter etiam in generatione cõcurrit. caput 16.
Quomodo fiat Temperamentum, in vnaquaque corporis parte, & in corpore toto & vtrum calor innatus sit cœlestis nec ne. caput 17.
Qui dicatur optimè temperatus Homo. caput 18.
De quatuor temporibus conceptus. caput 19.
Qua via, & quo alimento nutriatur Infans in Vtero. caput 20.
Quç concoctiones fiãt in Fœtu, & quomodo generentur Humores. caput 21.
Quæ sint causæ Partus Immediatæ. caput 22.

Capita

CAPITA SECVNDI LIB.

NTIQVORVM opiniones de vario tempore Partus. caput 1.

Ostenditur Partum esse quandam Crisim. caput 2.

Quæ sit certa, at firma causa variationis dierum Criticorum & partus. caput 3.

Cur partus diuersis temporibus fiant, & quare isti vitales sint illi non secundum sententiam Antiquorũ Philosophorum. caput 4.

Affertur propria sententia qua creditur Partus quãdoq; vitales esse quandoq; non. caput 5.

Ostenditur non posse assignari tempus, quo partus vitalis, vel nõ vitalis esse dicatur cũ ex suppositionibus Antiquorum, tum ex deceptione mulierum in enumeratione mensium suæ fœturæ. caput 6.

Quæ sint causæ sterilitatis, & quomodo illis sit succurrendum. caput 7.

Quomodo ex accidenti generatio impediri possit. cap. 8.

Quæ sint illa quæ ab occulta proprietate sterilitaté inducant, & quæ à tota substantia conceptum adiuuent. cap. 9.

Quomodo masculos quis generare facile possit, & quomodo fœminas. caput 10.

Quibus modis cognosci possit an mulier vtero gestet mascu. vel fœmellam. caput 11.

Quomodo fiat similitudo filiorum ad parentes caput. 12.

Cur plerunque nascantur homines cum notis quibusdam & maculis. caput 13.

De Geminorum generatione, superfœtatione, & Monstris. caput 14.

QVOD VA



QVOD VARIÆ FVERINT ANTIQVORVM OPINIONES circa primam generationem hominis, & quòd omnes conueniant in modo successionis illius.



LIBER PRIMVS.
CAP. I.



ANTIQVIORES Philosophi maximè inter se discordes fuerunt, & varias ac multas habuerunt sententias circa primam hominis constitutionem, & ortum; quidam enim nunquàm habuisse principium volunt, & illi sunt qui mundum æternum prædicant, vt Peripatetici, & Pythagorici. Alij autem qui per circuitus quosdam annorum mundum corrumpunt, ac generant infinities vt Aegyptij, dicũt animas hominũ (quas semper fatentur esse superstites) sibi noua resarcire corpora, in illa mundi reparatione. Lucretius, & Epicurei credebant hominem fuisse constitutum ex Atomis. Empedocles dicebat illum ex igne & aqua constare, at primùm genitis omnibus partibus separatim, postea asserebat illas venire in cõpositionẽ totius corporis. Anaximãder natũ dicebat hominẽ, ex aqua tãtũ ac vt cętera animalia spinoso cortice inuolutũ. Plato testatur in lib. de Mene-

xeno, illum in Attica sponte primò natum fuisse: id quod etiam in libro de Regno visus est confirmasse; Arist. Platonis sententiam innuens 2. politic. capit. 6. ostendebat deinde 3. de generatione anim. capit. vlti. potuisse tunc veritatem habere si sic ex putredine exortus homo primò fuisset vermis. Eusebius dixit hominē primo illo æuo fuisse natum ex coitu diversorū animalium in specie, atque alij Poëtæ, vt Ouidius, ex lapidibus quandoque iactis à tergo. Mosaici verò (cū quibus sumus et nos) dicunt ex limo terræ fuisse formatum à summo rerū Opifice, in quē afflauerit vitæ spiritum. Sed tā ij qui fabulosè et à veritate alieni de prima generatione hominis sunt loquuti, quā qui verum principium illius attigerunt vt Moses, cōfessi sunt in iam constituto homine semina quædam indita naturaliter esse, quibus mediantibus successiuè vnus ex altero oriri posset facta copula maris cū fœmina. Quia enim vltra generationis opus munera multò perfectiora obit homo, idcirco non promiscua vis generandi in eo sita est, vt in Plantis, sed tunc solùm generationi aptus fit, quādo ex iam dicta copula planta videtur & ipse fieri, vt testatur Arist. 1. de generat. anim. cap. vlt. ad quam coniunctionem profectò ducitur omnis homo, non solum necessitate naturæ (quæ species omnes ad longissimum tempus saluari vult) sed etiam voluptate quam inde maximam capit, vt inquit Arist. 4. probl. probl. 16. quia nulla operatio (ne dum ista turpissima, & vilissima omnium) posset in longum protrahi, ni secū oblectamentū afferret. Quòd si quandoq; priscis illis temporibus reperti quidam fuissent qui natura coacta, & voluptate spreta complexum huiusmodi ob filiorum successionem nihil curassent, lege sancitum erat, vt pecuniis ac dedecore maximo punirentur, vt 4. dialogo de legibus patet apud Platonem, id quod similiter Lacedemones aduertentes, statuerūt publico quodam loco iuuenes alapis à mulieribus cædi, si sciuissent illos eadem coniunctione non capi liberorum amore, vt dicit Atheneus libr. 13. dipnosoph. in cap. 1. At cur hic complexus Maris cum fœmina sit tantum necessarius pro successione hominum, iam nunc videamus.

Ostendi

Ostenditur necessitas coniunctionis, Maris cum fœmina: ad hoc vt homines in specie sua conseruari possint. CAP. II.

NECESSARIVM erat ad hoc vt homo qui generari debet posset esse superstes, quòd subito post sui generationem nutrimentum haberet sibi familiare, vt inde seruaretur in vita, hoc autem quia aliunde non potuisset illi suppeditari nisi parens illo abundasset, opus erat in aliquo homine ita obtundi caliditatem, vt omne nutrimentum assumptum nequaquam conficeret, nec conuerteret in substantiam proprij corporis, quod sic illi superabundans aptissimè postea accommodaretur pro nutritione prolis futuræ, id verò cum natura factum fuerit, factum est etiam vt propter obtusum illum calorem aliquæ partes corporis in homine illo perfectionem suam non sint adeptæ, (vt inquit Galen. 14. de vsu par. cap. 6.) cū testes, Scrotum, atque pudendum intra corpus remanserint, & si foris esse naturæ particularis intentum primum fuisset, vnde sic factus est homo læsus, & primum monstrum, vt dicit Arist. 4. de generat. anim. cap. 3. & 6. quod appellatur fœmina, (quæ etiam quandoque partibus his prolapsis factus est vir, vt Arescusæ, & Lucio Cossitio euenisse iam notum est:) ex quibus coniicere etiam licet, Vterum ipsum (ita enim partes illæ læsæ vocantur) non esse additamentum quoddam in corpore mulierum, vt volebat Scaliger, sed potius defectum quendam ob rationem quam diximus, hoc tamen verissimum est, naturam ex hoc defectu & læsione ista capere illud commodi quòd, ei qui generari debet, aptissimum locum parat in quo commodissime permanens nutrimētum iam dictum sibi assumit, quōusq; illo opus habeat, imò non solum pro nutritione assumenda locus ille redditus aptus est, sed etiam pro generatiōe primò deseruit; cùm namq; iisdem constemus, ex quibus nutrimur fit, vt illa materia fluens à toto corpore ad vterum sic ibi effigietur, vt alter nascatur homo, cuius formatio, quoniam à virtute quadam procedit quæ ob sui actiuitatem maximo calore opus habet, pen-

dere nequit à fœmina ob imbecillitatem sui caloris, quare à viro vt calidiori existente separetur illa virtus oportet, ex cuius contactu elaboretur homo in iam supra dicta materia, at contactus hic, cum fieri nequeat nisi ex coniunctione maris cum fœmina: patet iam cur illorum complexus sit pro conseruatione hominis maximè necessarius, vt dicebamus.

Cur debeat generari semen, quomodo generetur, & in quo loco. CAP. III.

CVM virtus illa quæ fingit Hominem, ita sit in calore sita, vt Gal. 1. aph. aph. 15. sit ausus dicere, id, quod ab initio animal efformauit, nihil aliud esse quàm calorem ipsum innatum, ideo quia opus erat hanc virtutem, vel calorem istum in aliquo subiecto fundari, ad hoc vt posset peruenire ad efformandam illam materiã, necesse fuit aliquod inueniri adminiculum quod illi in hoc opere præstãdo adiuuare posset; Quare cum indigeret humidiori ac crassiori quadam materia Natura factum est, vt si post nutritionem membrorum corporis viri aliquod superfluat alimentum in aliqua parte, ei subiiceretur, quoniam sic esset pro nutritione illius aptissime commodum, ob vltimam concoctionem quam accepisset in membro, & posset, ob quãdam acquisitam crassitiem, tutò cum illo, ac libere commeare: modo dantur in viro aliquæ partes quæ superfluo huiuscemodi alimẽto abũdare possunt, cuiusmodi testium venæ sunt, ad quas propter maximam illarum partium caliditatem copiosum attrahitur nutrimentum, iisque multum superabundat, cum paucum deponant ad glandulas ob laxitatẽ illarum; vnde cum misceatur, & continuò agitetur cum calore (quem genitiuũ vocãt) illuc delato ab Hepate, Corde, & Cerebro per venas arterias, & neruos, Natura molitur illud generationis principiũ quod proprio nomine genitura appellatur, vt patet 1. de generat. anim. cap. 18. nunc verò cõmunioris vsus gra-

tia semen

tis semen illud vocabimus, excrementum profectò vtile vltimi alimenti venarum epididimi non testium substantiæ, vt pluribus creditũ est; non enim extra venas elabi debet, ni testibus habeat assimilari, quoniam corrumperetur sic extra venas elapsum (vt de omni alio sanguine fit) atque è vasis egrederetur frustra, si iterum debuisset ingredi, vt quando per eiaculantia foras est expellendum: & si quandoque vidisti per expressionem testium aliquas ibi apparere humiditates, non est vt credas id esse semen, cum id potius sanguinis serum sit, quod ob sui tenuitatemq; pro vehiculo deseruiuit materiei seminali per illos tenuissimos ductus, vnde postea functo suo munere delegatur ad illos, vt fit in quacunque corporis parte; quare mirum non est si in partibus iis sudor ferè semper appareat, ac fœdus odor vrinæ, cum multa quantitas nutrimenti (quam diximus huc deferri) à multo hoc sero concomitari necesse fuerit. Est igitur vnus ductus seminalium vasorum deferentium, seu præparantium, & eiaculãtium, licet propter exilitatem maximam satis clarè coniungi non videantur, at hoc vt vidisse necessarium non fuit, erat tamen necessaria tenuitas illa venarum, atque arteriarum vt melius materia disponeretur ad formã seminis capiẽdam; Ita enim melius commiscetur illi calori, & dealbatur non solum in venis illis, & arteriis, sed sic etiam à substantia testium, vt euenire de sanguine propter Hepar infra nobis dicendum est. Cum sic igitur generetur semen, vt diximus, & quãdoque euenire possit vt quis ipsi; generationi velit attendere, & vel ob paucitatem nutrimenti assumpti, vel ob immoderatum coitum ante factum nil adsit superflui in venis iis, quod valeat semen fieri, tunc fit, vt vi harum partium maximè attractiua assumatur proprium nutrimentum cæterorum membrorũ ex venis omnibus, ac membris ipsis quandoque, vt Galen. ait 1. de semi. capit. 16. vnde facillimè ratio reddi potest cur maximè excarnes illos videamus qui plurimo vtuntur coitu: id enim accidit quoniam loca hæc sibi partem alimenti membrorum depredant, vt prestò sit principium illud generationis, quod semen diximus appellari, quod cum quando-

que

que non sit satis elaboratum propter paucam moram ibi contractam, colore sanguinis eiaculatũ apparet, vt inquit etiam Arist. 1. de gener. anim. ca. 9. quod cùm perfectũ adhuc non sit, pro generatione inseruire nequit, sed in occasione illa sic illi desiderio satisfit. At si multùm quis ingerat nutrimenti, & Venere non vtatur, vt plurimum præter voluntatem pollutione corripitur: quòd si etiam hoc superflui non sic deponatur, maxima tunc generatur pinguedo in corpore illo, vt videtur in iis contingere quibus excecti sunt testes, cum hi semper non euiratis sint pinguiores: cum nõ auferatur ab eorũ membris necessarium alimentum, vt fit quandoque in iis, imò, quod erat attrahendum in locum testium (quod esse plurimum dicebamus) illis assimilatur.

Quam facultatem habeant testes & quòd semen à toto corpore non deueniat. CAP. IIII.

CVM visum sit quòd semẽ nil aliud est quàm pars superflua nutrimenti perfectè elaborati in venis epididimi, siue in illo plexu venarum & arteriarum qui supra testes locatur, virtutem efformatiuam continens ob speciei perpetuitatem, nunc assignandus est vsus ipsorum testium, qui fortè nil videbuntur facere ad generationem seminis, cum ex eorum substantia illud egredi iam negauerimus, id quod licet firmiter teneamus, credimus tamen conferre ad generationem illius vt causam sine qua non, quoniam inseruiunt pro puluinari ad tutam venarum, & arteriarum diuisionem (vt euenit de omnibus glandulis corporis) sine qua nunquàm semen perficeretur; & sic cum Arist. esse possumus, dum 1. de gene. anim. cap. 4. dicebat, testes esse datos melioris cuiusdam vsus gratia, non ratione inquàm (vt ipse dicit) qua vasa, per quæ semen transire debet, adaperta teneantur ob horum pondus, vt simile euenire ait in ponderibus quibus vtuntur textrices in suis telis, istud enim testes nequeunt facere propter maximam circumuolutionem vasorum ac plexum illum de quo supra actum est, qui, etiam si non adesset, quomodo in iis animalibus

bus deseruirent testes pro põdere quibus siti sunt intra corpus?) sed tantum ratione diuisionis vt diximus spermaticorum vasorum, quæ sola cum in gyrum disposita sint, contineántq; semen in suis spiris anfractubúsq; in causa sunt ne libido vehemens crebráq; citetur in perfectioribus animalibus, & nõ testes, vt ibidem visus est sensisse Arist. cum hi potius (opinione illius) ea vasa distendant, vnde Veneris maior æstus. Hoc quidem credimus nos esse verum, vt testes extra corpus locati reddãt animal minus obnoxium libidini, quàm si intus reconderentur, cum sic ab ambiente temperiem quandam eos adipisci credendũ sit, vt Venus stimulare semper non possit: vt continuò illa stimulat, quę reconditos intus habent, sicut eodem loco habes ab Aristot. dummodo etiam hæc ita frigidioris temperamenti non sint, vt omnino oportuerit dispositos ita esse, si quãdoq; Veneri amica reddi debebant, vt fœminæ omnes sunt, quibus propter frigiditatem illarum (data speciei paritate) necesse fuit locari intra corpus, cũ nunquam aliter coitum appetiissent. Patet iam igitur ipsorum testium vsus in generando semine, qui maxime necessarius est, vt vidimus, licet quibusdam creditum sit semen in illo loco non generari, sed in toto corpore, cum in emissione illius voluptas per totum corpus participetur, sed maximè in hoc falluntur quoniã ideo omnes corporis partes tunc ingenti voluptate afficiuntur, quia intensa quædam prurigo fit in loco maxime sensu prædito, vt inquit Arist. 1. de gen. anim. cap. 18. & Gal. 14. de vsu par. Quare sicut scalpentes in quauis prurigine partem aliquam corporis, sentiunt in toto corpore summam quãdam delectationem ob secessum illius humoris spirituosi, ita prurigo Venerea in simili loco facta, toti corpori summum parit delectamentum, ob impetum maximum spirituosæ materiæ, quæ vibrando per genitalia foras egreditur. Motus enim, & agitatio illa quæ fit in coitu multùm spiritus iam dictos calefacit, vnde impetu maximo illos moueri necesse est, cuius rei indicium sit ipsamet substantia seminis, quæ cum nõ sit aliud quàm spuma quædam (vnde Venus dicta est ἀφροδίτης, & albedinem hac de causa præ se fert omne

semen, etsi Herodotus lib.3. putarit, illud Aethiopum, & Indorum esse nigrum, cuius opinionem reprobat Arist.2.de gener. anim.cap.2.) propter motũ sic factum fuisse necesse est: vt dicit Hippocr.in lib.de Genitura, & Gal.lib.2.aph.aph.43.ac quòd etiam per motum illum spirituum longè semen eiaculetur in coitu non omnino negarim ego, & si Gal.5.aph.aph.63.id fieri potius dicat ob expressionem factam in seminalibus vasis dum tẽsa manent. Patet iam igitur voluptatem in toto corpore causari propter exitum istorum spirituum dum subitò neruosas sensibilésq; partes pudendi titillant, vnde propter hoc etiam credendũ est, illos plus cæteris omnibus esse Veneri addictos, qui semen habebunt maxima flatuositate refertum, vt sunt ij qui debilium crurum sunt, vt Arist.dixit; spiritus namq; qui in his deberent tendere ad crura resident in suis partibus genitalibus propter quos postea maximè ad Venerem stimulantur, vnde etiam in prouerbio est, Claudus optime virum agit. Hoc autem similiter de melancolicis, idem Arist. confirmauit 30.probl.probl.1.cum propter flatuositatẽ, qua illi maxima abũdant omnium libidinosissimos ibi vocet, quibus omnibus illos opponit, qui varicibus detinentur, vt dixit 4.probl.probl.21.cum in his tendat omnis flatuositas ad varices; Sed quòd spiritus sint in causa vt in emissione seminis voluptas corpori condonetur, ij fidem faciant qui gonorrhæa affecti sunt, quibus, quoniam semen absq; spiritibus extra corpus prolabitur, nulla data voluptas est; pueri verò & si nihil emittãt seminis, ideo tamen afficiuntur aliqua voluptate ex fricatione pudendi, vt dicit Aristo.1.de gene. anim.cap.20. quoniam ob crassiores spiritus illos, foras egredientes, contingit pruriginem quandam in illo causari, qua sola fit, vt eodem tempore voluptas per vniuersum corpus participetur, vt diximus, quod sic non esset si proueniret ab omnibus eius partibus, quoniam tunc à parte post partem gestiret corpus non simul totum, vt videre est ex Arist.1.de generatione anim.cap.18.ac sicut prurigo illa in loco testium fit, & in loco vbi meatus omnes & venæ corporis applicantur 4.probl.probl.18.(quæ etiam in causa sunt

ſa ſunt vt locus hic maximum dolorē parere poſſit, vt dicit Alexand. 2.probl. probl. 36.) conſentaneum etiam rationi eſt ſemen ibidem ſolummodo generari vt ſat ſupérque probatum eſſe videtur.

Diluuntur aliæ quædam rationes, quibus creditur à toto ſemen decidere vel à quibuſdam aliis partibus. CAP. V.



ERVM ſi dubites quomodo fiat ſimilitudo filiorum ad parentes ni ſemen ab vniuerſo corpore decidat, dico nec ratione ſimilitudinis eſſe neceſſe illud ab omnibus partibus cadere, quoniam cum ſimilitudo cōſiſtat in organicis ſolū, pro illa comparanda ſat eſſet decidere tantum ab ipſis, at hoc non eſſet decidere à toto, vt inquit Ariſt.1.de gene.anim.capit.18. Sed quomodo nati fiant parentibus ſimiles infra melius agemus. Si item dixeris in emiſſione ſeminis maximam noxam communicari cerebro, & oculis quod eſt indicium apertiſſimum ſemen ab iis partibus prouenire, dico veriſſimum eſſe in actu Venereo, & præſertim immodico labefactari multas corporis partes, ne dicam omnes, & præſertim illas principes tres, Cor, Cerebrum, Hepar, ſed tamē propter hoc dicendū nō eſſe puto ſemē ab iſtis cadere. Cū enim langueſcat homo & maximè diſſoluatur poſt factum coitum, dummodo non ſcateat pluribus excrementis (quoniam tunc lætior, & hilarior fieret ob illorum expulſionem, 3.probl. probl. 1.) id euenire credendum eſt, vel ob maximam quātitatem corpulentæ materiæ ſeminalis emiſſæ (plurimum enim huius emittit homo proportione ſui corporis, 4.probl.probl.6.) vel ob reſolutionem multorum ſpirituū in illa exiſtentiū, ſiue vtrorúmq; cauſa; profectò cū vires non conſiſtant in excrementis, ſed in ſpiritibus (vnde retentis illis vires augentur) in carnoſis, & ſolidis partibus, per Gal. 11.met.capit.3. homo tunc debilitatem acquiret, ratione tantum reſolutorum ſpirituum (ni forte ob vſum eius immoderatum membra euacuari neceſſe ſit, cum tunc vtriuſq; ratione fieret debilis) qui à Corde, Cerebro, & Hepate forte prouenientes

B 2 *his par*

his partibus principalibus absq; dubio primo noxam communicant, ac postmodum toti corpori; & hoc pulcherrimè ab ipsis μυθολόγοις est ostensum quando finxerunt Venerem coniunctam cum Marte respici à Mercurio, Neptuno, et Apolline. Apollo namque, idest Cor, persentiens factum coitum, suo atq; arteriarum celeri motu querit regenerationem consumptorum spirituũ, & caloris maximè ferue facti tepiditatem: Neptunus similiter, idest, Naturalis facultas illud idem cognoscens ob consumptionem suorum spirituum maximè patitur, cuius rei fidem faciunt prauæ concoctiones quæ fiunt in corpore illorum qui multum coeunt, vnde sequuntur praui illi odores qui à toto corpore postea emanant, vt ait Arist. 4. probl. probl. 13. & 25. (qui potissimum in corporibus militum manifestantur, vt qui plus Veneri addicti sint quàm cæteri homines propter quos tantum creditur Venerem ostendi coniunctam cũ Marte, vt 2. politic. cap. 7. testatus est Arist.) & ratio huius rei est, quoniam ij qui immodicè vtuntur Venere, ita principaliter ventrem suum refrigerãt, & exsiccant 4. probl. probl. 18. vt necesse sit errorem contingere in prima coctione, qui postea cum corrigi nequeat à coctione 2. & 3. (vt dicit Gal. 5. de sanitate tuenda. cap. 11.) est in causa quod hirquitallet corpus ob prauam nutrimenti assimilationem; & sic patet quomodo ad naturalia proueniat noxa, & cur Neptunus Venerem Martémque captos miretur. Mercurius item idest Cerebrum, illos intueri cogitur, idest maximè patitur in cõplexu illo Venereo quoniam nõ solum est pars frigidior cæteris, sed quia etiam multi spiritus Animales ab eo tunc resoluuntur; propter quorum resolutionem adaucta frigiditate plurimum offendi sentitur quod fuit causa cur Alcmæon crediderit semen nihil aliud esse quàm cerebri quandam partem, cum præsertim in emissione illius per dorsum descendere videatur, vt ait etiam Arist. 10. probl. probl. 56. quod item firmiter credentes Aegyptij, iam excitatam titillationem volentes significare, solebant pingere spinam dorsi; at istud non est, quoniã & si per dorsum semẽ à cerebro cadere videatur, hoc est in causa, quia spiritus Animales

males

males in neruis existentes (quorum refertissimum dorsum est) iam in commotione illa Venerea concitati, continuò quodammodo agitantur vsq; ad corpus cerebri à quo proueniũt primò, vnde est, vt in ipsis ventriculis agitatione illa communicata appareat causari quædam breuis epilepsia, qua etiam prauè torqueri vidẽtur oculi, quoniam cum sint referti tenuioribus ac purioribus spiritibus, maximè eos perturbari necesse est, ob hunc motum illis communicatum; quapropter non quia sint sedes seminis ipsi oculi, nec quòd à cerebro semen cadat, ideo Mercurius Venerem & Martem sub rete captos miratur, sed causa est quam diximus licet superiori credidisse Arist. videatur 2. de gener. anim. cap. 5. cui quamuis Hippoc. authoritas lib. de Aquis aëre, & locis videatur fauere, quando ex sectione post aures dicebat Homines sterilescere, non tamẽ huic experimento fidendum est, quoniam licet euadant steriles id prouenire credendum est non ratione detenti seminis, sed ob retentum fermentum, vt inquit Auicennas, quod fermentum spiritus Animales sunt, sine quibus cum generatio fieri nequeat esse potest fortasse, vt sectis neruis retrò aures, ij nõ habentes transitum sint in causa sterilitatis hominum, quòd si Hippocr. intellexerit de sectione aliorum vasorum puta venarũ, aut arteriarum, tunc vel secetur pars iugularis venæ, vel arteriæ soporalis, clarissimum est hinc ortam sterilitatem non esse à cerebro causatam cum vasa hæc non ducant ortum ab illo, vt fatentur omnes. Quare iam manifestissimum esse potest, quàm verè superius determinatum sit, semen tantum generari in loco testium, vt diximus, licet quoq; non sit negandum à principalioribus partibus virtutẽ & facultatem quandam ad eos deuenire, vt colligi potest ex iis quæ dicta sunt.

Quod semen vocari potest Animatum, & non Animatum. CAP. VI.



N autem præter iam dictam Facultatem, & virtutẽ Informatiuam, credẽdum sit semini inesse Animam iudex sit Arist. is enim cum videret illud in se non ha-

bere actus animæ explicitè, sed sic esse in via ad formanda, ac disponenda membra, quibus paulo post animæ actiones obire pos set, idcirco 2. de generat. anim. cap. 1. & 3. conceptis verbis expressit semẽ medium tenere inter id quod est animatũ, & quod anima caret: vnde cum Platone standum non esse videmus, quando dicebat in Timeo semen vel nõ decisum à corpore, esse animatum: quia cum redderet rationem cur animalia furiant in coitu, & Alphæstet, (ita enim furorem hũc Veneris exprimit Atheneus ex pisce quodam) dicit istud propterea euenire, quoniam tunc genitale membrum, sic animatum fit propter semen, vt quin vadat quò fertur, vt furens animal retineri nequit, id quod & si contingere videatur, in rarefactos tamen, ac calefactos spiritus, vt supra dicebamus, causa reiicienda est potius quàm in animã à semine acceptam. Diogenes autem opinabatur animari semen, quando conceptus iam factus puer ex vtero egreditur; volebat enim tunc temporis ob frigiditatem aeris spiritus intropelli, & sic animari corpus, ac respirare, sed nimiam antiquitatem redolet hæc opinio; quare potentia tantùm vt diximus semen esse animatum credendum est; quòd si videatur Gal. 1. lib. de semine ponere animam subito in illo, istud quidem facit, quoniam tunc illi sat erat crassiori quodam modo virtutẽ Informatiuã ostẽdere quæ à principio illi est, quam quidem postea lib. de formatione fœtus propriori vocabulo Naturã dicebat, vt clariori modo 1. aph. 15. Calidum innatum vocabat sicut tandem melius. 17. de vsu partium. Mentem diuinam, ac sapientiã summam expressit; cum enim Fictricem Facultatem omnino ignoraret, vt lib. de Formatione Fœtus, & 9. de pla. Hippocr. & Plat. idem testatus est, conabatur meliori modo quo poterat illam his nominibus illustrare. Eiaculatum igitur cum fuerit semen apto instrumento in fœminæ matricem bene dispositam, paulatim ex materia quam attrahit Embrionẽ efformat, vnde elucescit Anima paulopòst, cum ante quodammodo latitasset ob defectum instrumentorum vt diximus. Sed quamuis supra dictum sit, quæ sit ista materia quæ suscipit à semine formationem hominis, nunc

tamen

tamen clarius de illa nobis agendum est.

Quomodo generetur Menstruum in muliere, & quomodo intelligendum sit, in generatione locum habere. CAP. VII.

DICTVM est fœminam ob sui frigiditatem esse hominem læsum, sed vidimus ex ea læsione locum sibi parasse naturam in quo conseruat Fœtum, vt ex frigiditate materiã habuisse (quæ ab illa primò intelligebatur) ex qua illum generare, ac nutrire valet. Istius enim frigiditatis meritò cum fiat vt mulieres plus ingerant nutrimenti, quàm postea possint præ debilitate caloris concoquere, vt dicit Arist. 4. de gene. anim. cap. 5. ideo plurima derelicta inconcocta materia, naturaliter à venis ad corpus matricis expellitur, vt quale erat futurum tale alterum oriretur, vt patet 2. de generat. anim. capit. 4. ex quo constat non posse argui mulierem esse viro calidiorem, vt volebat Empedocles apud Aristot. 4. de gene, anim. cap. 1. & 2. de partibus, c. 2. cum sanguis ille, qui in vnoquoq; mense ab his expellitur non sit perfectus vt visum est. Ad vterum autem transmittitur sanguinea hæc materia, & non ad alias partes corporis, quoniã quotiescunq; aliquod superfluũ reperitur in corpore nostro, natura potens; illud expellens semper ad partes debiliores demandat, at in muliere nulla alia pars reperitur debilior, vtero ipso, vt ait Gal. 2. de sem. cap. 5. intus enim remansit propter debilitatem vt testatus est lib. 14. de vsu partium, & nos supra 2. capit. demonstrauimus. ab vtero autem non attrahi istud Menstruum, sed à virtute expultrice totius corporis ad illum demitti, testis est Gal. 5. simp. cap. 21. in quo cũ adsit, maximo motu expellitur extra corpus (nisi iã dictæ generationi inseruire debeat) vt dicit Hippoc. in lib. de Natura pueri, hócq; euenire credẽdum est, ob corruptionem quæ illi aduenit, dum sic delapsum est extra venas; quia cum tunc à Natura regente, & naturali calore fuerit destitutum, corrumpi facillimè potest, vnde postea stimulatus vterus insurgit ad expellendum, atque expulsum cum fuerit colore rubeo, cum quadam albedine mixtum

apparet

apparet ob debilem illam coctionem quam in Hepate, & venis acquisiuisse iã diximus; quòd si quandoq; oĩmoda albedo ipsi præualeat, est signum maxime frigiditatis, & ingentis debilitatis Naturæ in concoquendo & sanguificando, vnde postea fit quòd mulieres patientes hoc, macie quadã videãtur consumi, & augeri illæ desinant quæ ad perfectã magnitudinem adhuc non deuenerunt, vt 7. de hist. ani. cap. 1. testatus est Aristot. & sicut menstruum hoc in generatione locum non habet, cum sic operationes naturæ refugiat, vt diximus, illud profectò maximè necessariũ est ob diminutam tãtum concoctionẽ illius, quæ quidẽ adesse oportuit, cum aliqua frigiditate in generatione opus sit (vt dicit Ari. 4. metheo. c. 20.) qua mediante vis caloris refrangi possit, ne sibi fortasse totam materiam assimilet ad instar cuiusdam ignis; si enim hæc materia probè concoctus sanguis fuisset caliditati seminis quid obuiam iret? sic ergo frigiditate aliqua opus erat in ipso mẽstruo, qua contemperatus seminis calor posset insequi generatio; & quoniam cum corrupta est (ob acquisitam præter naturalem illam caliditatẽ) non posset esse temperamento semini, hinc patet quando generatio fieri debet, necesse non esse illud Menstruum in capacitate ipsius vteri reperiri debere, imò tantum abest vt tunc pro generatione facere possit, vt illam potius impediat, vt infra dicturi sumus; sat enim est in osculis venarũ in vtero desinentium tantum adesse materiei illius quantum à semine possit paulatim attrahi; vnde dicebat Aristo. 1. de generatio. anim. cap. 19. & 7. lib. de hist. anim. cap. 2. sufficere in vtero pro ipsa generatione tantam materiam, quãta relinqui solet iis quæ purgatæ sunt; quare iam manifestum est, superfluam esse illam quæ solet expelli à mulieribus vnoquoq; mense, cum tunc illa sat sit, quæ in osculis cotyledonum relinquitur post factas iam purgationes; atq; sic cessat illorum dubitatio qui nolũt hoc excrementum in mulieribus esse materiam generationis, cũ in cæteris animalibus (paucis quibusdam exceptis) non videant illas fieri; sufficit namq; aliquid colligi in vuluis ceterorum animalium, quod proportioni respondeat illi paucæ materiei relictæ

in iis

in iis acetabulis post purgationem iam factam, vt patet 2. de generat. anim. cap. 4. id enim quod sensibiliter in huiuscemodi brutis deberet excerni, transit pro diuersa specie animantium in armos, in cornua, in pilos, & squammas, quoniam cum nõ inseruiat generationi, vt diximus, in his supplet vicem armorum, vel ornamenti, at in mulieribus foras excerni necesse fuit, quoniam aliũde venit ornamentum illarum, & fortitudo. imò si fortè fortuna accidat, vt quandoq; retineatur, pluribus semper malis afficiuntur, vt inappetentia, picatione, nausea, vomitu, vrinæ destillatione, tumoribus in carne. vt dicit Aristot. 7. de hist. anim. cap. 4. quæ omnia contingunt, & si Natura propter aliquem vsum non sinat illam foras expelli, vt accidit in conceptu iam facto cui deseruire debet, vt patebit inferius; at si iis reseruetur nullius vsus gratia tunc grauiora, & periculosiora accidentia contingunt, vt totius corporis malus habitus, erisipelata, cancri. vt ait Gal. 5. aph. aph. 57. & quod maximum est, insania deprehenduntur atq; furore: & quandoque illis barba producitur mento. (quod valde turpe & ridiculum est,) vt Phætusæ productam fuisse propter hanc causam testatus est Hippoc. 6. epidem. sect. vlt. non retinentur igitur menses in mulieribus nisi pro generatione & nutritione conceptus, cum propter alios vsus facti non sint, vt diximus, cæteris autem animantibus decor & propugnacula fiunt sicuti visum est: at si dubites quomodo in brutis possit dari nutrimentum fœtibus, cum in aliud degeneret omnis illa superflua materia, vt nunc nunc dicebamus, dico dubitationem hanc posse etiam ampliari ad mulieres illas, quæ cum nunquam patiantur suas purgationes, concipiunt tamen & fœcundissimæ sunt; Sed licet istud contingat in brutis, ac mulieribus quibusdam, ideo non deficit nutrimentũ conceptibus, quia attrahentibus illis per vmbilicum materiam ab ipsis cotyledonibus, fit, quòd illa pars destituta proprio alimẽto trahat & ipsa à propinquiori, & hæc ab altera sicut in quadã chorea (vt solet Gal. dicere) donec ad ventriculi partem maximo sensu præditam fiat huiuscemodi attractio, in qua factus sensus suctus, quæ Fames

dicitur cogitur prægnans ad comedendum: & hæc est potissima causa, cur tempore prægnationis sint maximè voracia animalia quæ carent menstruo, vt dicit Aristo. 6. de gener. anim. cap. 18. & vt sunt etiam hæ mulieres, (vt retulerunt nobis) de quibus est dubitatum. generatur igitur menstruum, vt dictum est, & à semine paulatim attractum contactúmq; deseruit generationi illo modo quo diximus, & infra melius manifestabitur.

An voluptas in coitu sit maior in viro, quàm in muliere, & quomodo mulieres semen habeant. CAP. VIII.

QVONIAM igitur necessarium erat, posse fieri illum contactum seminis cum sanguine menstruo, si fieri generatio debebat, vt nuper vidimus, ideo Natura comparatum est, vt mulier in recipiendo semine viri maximam voluptatem caperet, cum nunquàm aliter potuisset illi coniungi: & si enim dum proprium semen emittit, summa delectatione afficiatur, longè tamen illi magis augetur, dũ recipit illud viri, quo quidem fit, vt si non intensiuè, iudicium Tyresiæ, verax sit, ob minorẽ pruriginẽ quæ in ea fieri contingit ob proprium semen frigidius emissum, extensiuè tamen possit verificari; ac licet Hippocra. libro de Genitura, dixerit virum affici maiori tempore voluptate quàm ipsa mulier, hoc quidem dictum Hippocr. dignum non est, vt ratio docet, & patet omnes experientia; quia cum ob ingentem voluptatem (qua sola maximè resoluitur corpus 1. de semine cap. 16.) ob totius corporis motum, & propter emissum semen multi spiritus resoluantur à viro, ipse illico flacescit ob horum exitum, & statim facti illum pœnitet: at cum sic grauiter non deprehendat mulieres stupor ille Venereus, cumq; sic voluptas eas non decipiat, fit, quòd semper hæ virum appetant, vt materia formam; ac si, & hæ videantur conuelli in emissione proprij seminis, & ob voluptatem etiam qua fruuntur necesse sit corpus illarum resolui, & debilitari, dicimus tam paucos esse spiritus, qui tunc in eis resoluuntur, vt post coitum pluries factum eas non pertædeat immediate etiam

virum

virum admittere, vt ij omnes docent, qui quotidie & omni hora miscentur illis: coniunguntur ergo vir atq; mulier ob mutuam voluptatem quam sibi præstant, & non attrahitur tantum vir à muliere, vt volebat Cardanus in libro suo de subtilitatibus. sed hæc etiam maximam propensionem habet in illum ob rationem quæ dicta est. Vt autem semen viri aliud quid à delectatione præstat post absolutam Venerem (vt deinceps dicemus) ita etiam quòd mulieris est, operatione non caret post præstitam voluptatē, cum enim & ipsum naturali quodam calore præditum sit, vim quandam efficiendi in se habet, licet multò imbecilliorē, atq; debiliorem virili, vnde est, illam ex se sola generare non posse, & si cū materia habeat etiam causam efficientem coniunctam, vt ex Ari. patet. qui 2. de gener. ani. cap. 3. dicebat, sanguineam materiam ab ipsa muliere vegetam posse fieri, at non participem sensus, vt ex mola (cui dixit Plin. respondere proportioni id quòd in Homine generatur nomine scirron) manifestissimum fit, quàm aliquando concepisse mulieres, certum est: quare, non quia mulier semine careat pœnitus, idcirco ex se sola non concipit, sed in sui seminis debilitatem, est vt diximus, referenda causa; patet iam igitur necessarium non esse menstruum proportioni respondere ipsi semini, & carere isto, qui illud habet, vt vult Arist. 1. de genera. anim. cap. 19. non enim conueniunt vllo modo, cum ob multam caliditatem, alimentum iam perfectè concoctum semē euadat, menstruum autem remaneat inconcoctum ob imbecillitatē caloris; id quod etiam cum ad quantitatem duarum heminarum ascendat, vt Hippocr. inquit in libro de morbis mulierum, quam proportionem habebit cum ipso semine si istius moles tā pauca sit, vt ait Gale. 1. de Natura humana, cap. 35? ac si præterea semen attrahitur, & menstruum expellitur, illud egreditur cum delectatione, & hoc exeundo multa parit symptomata, atq; postquā semen exiuit debilitatis est causa, & menstruis egressis corroboratur corpus, quæ proportio poterit dari inter ista? non igitur necesse videtur, vt is carere semine debeat, qui Menstruo abundat, quod licet debilitatem caloris arguat, cur etiam semen

non poterit generari? cum enim & mulieribus ipsis proba fiat sanguificatio & nutritio, cur in loco suorum testium non poterit abundare tanta materia pro generando semine, vt fiebat in Viris? at si id non fieret quis esset illorum testium vsus? an illis tantum deseruirent, vt mammæ in viris nulla in illis reseruata actione, sed Formationis proportione tantum, vt dicebat Athenæus apud Gale. 2. de sem. cap. 1? neutiquàm profectò, quoniam mammæ in viris cum pectus foueant, aliquem præstant vsum; vt dixit Arist. 4. de partibus anim. cap. 10. at quid præstabunt testes in mulieribus nisi generent semen? sed quid? nónne in somnis corripiuntur mulieres pollutione? an non plures vterinos patiuntur affectus ex retento & corrupto semine? at quid plura si de hoc oculatissimam fidem habemus, dum intuemur ipsarum testes sero eodem repletos, ac erant in viris, ipsúmq; semẽ in epididimo? at si dixeris, id quòd videtur, esse potius, materiam quandam saliualem? quæ Natura iis data est, vt in coitu haberent maiorem delectationem, cur quæso castratæ fœminæ (vt sunt inquit Gale. castratæ sues, & vt erant illæ mulieres Andramytes Regis Lydorum) non concipiunt, si id tantum ablatum est, quod voluptatem augebat? an nónne etiam multæ sunt, quæ fatẽtur se sine vlla voluptate (si his credendum est) quandoq; concipere? Concurrat igitur semen illarum oportet in ipsa generatione vt vidimus, si verum est, vt dum coniunguntur viro, more plantarum generent, vt diximus ex ipso Arist. ideo enim in plantis credendũ est semper masculum & fœminam simul esse, quoniam cum generationis illorum materia tantũ ex terra sit, ab vtrisq; vim quandam efficiendi venire necesse est; quis potest igitur persuadeat illa vicina Auerrois, dum; adiurando, dicit se concepisse, quoniam dum se lauabat in Balneo Iauelli vterus suus attraxit semen quod in illo balneo vir quidem turpiter fuderat (ita enim verissimè ostenderetur nullum vsum habere semen mulieris in ipsa generatione) quia licet admittamus ab vteri caliditate illud attrahi, vt ait Arist. 2. de generatione anim. cap. 4. vel ab vtero rapi vt ab animali quodam sicut testatur Gal. 1. de sem. cap. 2. impossibile tamen

men est, Cerberum hunc illam offam capere, ac præ rabida fame suas spumescentes fauces implere, nisi id quod appetit aptissimè porrigatur.

Ostenditur quomodo nutriatur, & augeatur semen virile in vtero mulieris. CAP. IX.

CVM igitur iam habeamus in generatione hominis concurrere vtrunque semen, ac mulieris menstruum, nunc ostendendum est quomodo ex his principiis generatio inchoetur. Postquàm ergo virile semen apto instrumento vterum ipsum ingressum est ostio matricis arctissimè clauso vt dicebat Herophilus *apud* Gal. 3. *de naturalib. facult. cap. 3. occurrit illi semen mulieris postquam suum delectamentum præstitit, quibus simul commistis, quod est potẽtius, vt virile absumit aliud fere in sui nutrimentum, vt 1. de sem. capit. 7. notum fit ex Gal. at quoniam non nutritione solum, sed etiã augumento semini virili opus est propter minimam suam molẽ, 2. de natura humana cap. 35. ideo non sufficiens ad hoc muliebre semen fit, vt vasa vteri statim aperiantur, sicut dixit Gale. lib. de sectione vteri, cap. 16. per quæ attrahitur menstruum ab ipso, pro vt opus est, hoc idem testante Gal. 2. de naturalibus facult. cap. 3. vt enim semini plantarum humor è terra sufficiens est, animalibus autem lac, fructus, & herbæ suppeditant nutritionem, ita semini animalium materia insita in venis Matris est alimento, 2. de semine capit. 4. sed non tamen fit, propter hoc, vt quotiescunq; semen mulieris in vtero fuerit, illo, vt familiariori non vtatur virile, ex quo tollitur illud dubium, an mulieres postquam conceperunt, iterùmq; se viris subiicientes nouum suũ semen proiiciant in Vterum; non enim sat clarè constat, ad quid tunc deseruire valeat, imò cum tractu temporis corrumpi facilè possit, videtur posse causare multa symptomata, fœtui, & prægnanti, quæ quidem cum aduenire nõ videantur, (vt scopulũ hoc euitarent) crediderunt nonnulli, (sicut est Auic.) mulierem prægnationis tempore semen non generare; vel si generet (dicunt*

alij) illud hora initus emitti per partem cõuexam vteri, vel per ceruicem, sed cur non semper generabit semen mulier prægnãs si ex illius emissione ipsamet fateatur se eandem percipere voluptatem in congressu Venereo, ac quando non erat prægnans? cur credidit ergo Realdus sanguinem illum à fœtu sugi, qui pro semine destinatus erat? an non deceptus est cum crederet acetabula vteri esse fines seminaliũ vasorũ, cũ à vena caua procedãt? & si postea vasa eiaculantia desinunt in cornua matricis, cur non semper intra vterum semen proiicietur? vt dicebamus igitur vere prægnans mulier semen generat, & in coitu illud emittit in capacitatem vteri, & deseruit pro nutritione virilis seminis vel fœtus, in cuius defectu menstruum præstò est attractum à semine vt diximus; at si membranis circumuolutum fœtum respicias, ita vt illi semini denegetur via qua possit in eius nutrimentum transire, dico tunc semẽ huiusmodi ab illo per poros attrahi, vt à spongia quadã, sicut dicebat Alcmæon; non enim necesse est, vt illi paretur via, sicut oportet parari sanguini menstruo, eo quia propter maiorẽ familiaritatem citius hoc attrahitur, & postea sic statim corrumpi nequit aut in grumum verti, sicut faceret ille sanguis; propter quem solum factum est, vt contangente genitura quodcunq; osculorum matricis illud statim aperiatur & elongetur. 1. de sem. cap. 6. ac deinde obducta membrana in semine, omnes ij osculi adaugeãtur, per quæ sanguis is conseruatus attrahatur continuò ad conceptum, vt deinceps dicturi sumus.

De tribus membranis, quibus inuoluitur fœtus. CAP. X.

CVM igitur mulier iam conceperit (quod cognosci poterit, ex vteri siccitate statim post factũ cõgressum, vt dicit Hip. in libro de sterilibus, vt ex horrore, ac torpore quodam totius corporis, sicut processu temporis ex cauitate oculorum, atq; liuiditate, vt idem Hippocr. dixit in lib. de superfœtat.) subito nutrimentum & augumentum Genituræ accedit vt visum est. Vnde cum necessariũ sit in illius nutritione excrementa gigni, ac separari vt fit in omni

concoctione, ideo Natura solertissima tres mẽbranas est fabricata inuoluentes fœtum, in quas deferuntur huiuscemodi excrementa, cum ibi absq; noxa illius et matris vsque ad pariendi tempus, queant reseruari; non enim natura poterat extra corpus illa expellere, cũ oportuerit ostium matricis semper clausum manere, propter conceptum ipsum; quod quidem ostium, & si maneat ita clausum vt periculum deuitetur exitus Embrionis; ne tamen ob pondus istius quandoq; dehisceret ante debitum tempus, iisdẽ membranis auxilium illud fertur vt suspensus quodammodo maneat, & hoc potissimum præstatur à secundinis (ita enim sunt appellatæ, quia secundo egrediuntur ex vtero, & est mẽbrana omnibus aliis exterior & Chorion etiam dicta,) postquã enim ab vtero genitura cõplexa est, fit vt in eius superficie ab eiusdem vteri caliditate, crusta quædã inducatur, quæ intertexta venis & arteriis Cotyledonũ mẽbrana huiusmodi cõstituitur, qua fœtus iis vasis mediãtibus vtero alligatur, ac leuis iisdẽ factus, in eo quodammodo innatat, & quoniam virile semen non potuit oblinire omnes partes vteri internas cum impossibile fuerit ascẽdere vsq; ad eius cornua propter illorum longinquitatem, ideo factum est, huiuscemodi crustam, & membranam hanc non esse inductam in tota seminis superficie, sed in ea parte tantum quæ potuit adhærere ipsi vtero, id quod secundum orbem ad instar cuiusdam cinguli tantum potuit euenire quo fœtus ipse præcingitur, vnde hac de causa χόριον dicitur quasi χόρος id est, circulus, licet alij sint qui χώριον scribant locũ significãtes in quo fœtus moratur. Alij volunt χόριόν istud non esse membranam in homine, (& si in brutis esse concedant, de qua intellexisse Gal. dicunt) sed potius tenent, quod sint quædam affusiones sanguinis, quæ pro puluinari deseruiant in extensione venarum, atq; arteriarum vteri dũ vmbilicus cõflatur, in quo etiam vmbilico glandulæ quædam ad instar fabarum dari videntur propter eandem rationem, & non vt per illarum numerũ ostendi debeat futura soboles, vt Salicetus credidit, & Albumasar, & mulierculę ipsę semper obseruãt. A Cornubus autem matricis muliebre semen proueniens ac tendẽs

ad partes inferiores, membranam secundam cõstituit, quæ vt ex debiliori semine genita, tenuissima quoque est præ duabus aliis, licet omnes telis aranearũ similes sint vt ait Gal. 15. de vsu par. ac licet idem Gal. lib. de Formatione Fœtus, ca. 1 alium modum tradiderit illius generationis, & dixerit fieri ex vase (quod vrinaculũ dicitur) dilatato, sat est (quouis modo fiat) istud nouisse mẽbranam hãc Allanthoidem appellari, siue Farciminalem, qua mediante vinciuntur extrema Fœtus, & reseruatur in ea lotium vsq; ad pariendi tẽpus illo deportatum à Vessica pueri, per Vrinaculum ipsum, quem quidẽ puerum si lotium hoc tetigisset vtiq; acrimonia sua excoriasset, quare 3. membrana quæ dicitur Amniõ genita est inter quam, & Allanthoidẽ vrina manet & ea ex semine viri, sicut Chorion ortum habet, quia cum reniti debeat ad motus ipsius infantis in vtero, validitate quadã opus habebat, & hæc sola totum puerum circumuestit, & recipit eius halitus, & sudores, propter quos leuis prægnanti fit, ac tempore partus ob lubricitatem quam præstant maximo illi sunt adiumento; & sic habes quomodo tres Membranæ gignãtur, quæ tanti fiunt ab ipsis Causidicis, vt inquit Leuinius Lemnius lib. 2. de Occultis Naturæ miraculis, cap. 8. vt maxima cum instantia soleant eas petere ab Obstetricibus, ita credũt in suis litibus voti compotes fieri, si illas habuerint apud se; ex quibus similiter tanta persuasio facta est apud mulierculas, vt nimis superstitiosè obseruent illum Hominem, fore plenum Numine sancto, qui nascetur mẽbranis huiusmodi redimitus colorem album habentibus, vt ominosum omnino, & infortunatum illum, si iisdem Galeatus nascatur nigro colore refertis; quæ omnia profectò, adeo puerilia sunt, vt non solum obseruanda, sed nec quidem dicenda essent.

Quòd Hepar sit primum membrum quòd generatur.
CAP. XI.



IAM efformatis igitur tribus membranis, vt visum est, incipit Informatiua Virtus, quæ est in tota illa genitura, & in omni eius parte, fungi munere suo, non

enim tanquam Polycletus aut Phydias, fingit solum externas partes, sed nullas internas sinit illaboratas, vt dixit Gal. 2. de naturalib. facul. capit. 3. & quoniã membra corporis Humani successiuè formantur, non simul omnia, vt volebant Stoici apud Plutarchum, libro 5. de placitis phylosoph. cap. 7. ideo videndum est quæ sit prima pars quæ efformetur in corpore Humano; ac non etiam de quacumq; parte inquirendum est, sed de illa tãtum quæ semper aliquem vsum habet in eo, aliter enim possemus subitò dicere, Vmbilicum esse partem primo efformatam, quia postquàm Membrana Chorion, dicta genita est, fiunt ex multis illis venis, & arteriis quibus contexitur, duo magni trunci venarum, & totidem arteriarum, qui omnes simul Vmbilicum conflant vnà cum Vracho, qui postea à Vessica fœtus deueniens horúmq; medium tenens intra Chorion & Allanthoidem desinit vrinam deportat, vt per Vmbilici venas, deportatur nutrimentum ac refrigeratio per arterias, vt deinceps dicturi sumus; at quoniam iam ædito in lucem infante, & si ipsius Vmbilici plurima portio permaneat adhuc in eius corpore, vsum tamen aliquem amplius non habet (licet videatur quibusdam ligamenti vicem supplere, ac hepar suspensum tenere) sed potius exsiccata conspicitur; ideo hac omissa queramus, quæ sit prior pars in Homine generata, cui semper aliquis vsus manifestò tribui possit. Empedocles volebat primò fieri spinã dorsi, vt quæ carinæ nauis assimilatur, in cuius constitutione semper ab illa sumunt initium, & vera quidem dixit, si ossium tantum primam constitutionem inspexit. Alcmæon dicebat, primò generari partes superiores corporis, postea autem inferiores, vt in auium conceptibus clarum est, in quibus oculi primò semper maximi apparent: Plutarchus in libro superius citato cap. 17. dicit ex quorundam opinione ante cæteras partes maximum pedis digitum efformari. Democritus opinabatur, quòd primo formarentur externæ partes, deinde autem internæ. Alij dixerunt humeros primò genitos esse, ex quibus postea cæteræ partes constituerentur. Multi itẽ alij volunt venas & arterias gigni ante partes alias

corporis, id credentes, ex inspectione ouorũ, quibus paucum tempus Gallina incubauit, in quibus filamẽta venarum, & arteriarum conspici tantum dicunt, absq; quòd aliæ partes genitæ videãtur, decepti ex vmbilicis, quos in his ouis (loquor de bicoloribus) semper fieri necesse est, ante partes alias, vt de illo Hominis dicebamus; cum enim pullus ortum ducat ab albo, & accipiat nutrimentum à luteo, vt ait Aristo. 3. de generat. anim. cap. 2. necesse est fieri vmbilicum vnum ex arteriis qui tendat à mẽbrana exteriori, propter ipsam refrigerationem, alterum verò qui ab interiori alimentum deportet à luteo, vnde facilè sequuta est deceptio. Aristot. autem 2. de generat. anim. capit. 4. dicit cor esse primum membrum quod generatur. Gale. verò lib. de Format. fœtus inquit Hepar primum locum tenere in generatione, & cũ illo sunt Medici ferè omnes: quoniam autẽ Arist. & Gal. opiniones sunt potiores omnibus aliis, ideo cæteris prætermissis has solũ examinemus, ac si inueniamus cor generari post Hepar, erimus cũ Gal. & aliis Medicis. Sed quòd post Hepar cor generetur, hinc clarum fiat, quoniam cum sanguineæ partes fœtus, cõstitui debeant ex sanguine delato ab vmbilicalibus vasis, & quæ ex semine fiunt ab hoc eodem augeri, necesse est, pro cordis constitutione dari illa vasa sanguinẽ deferentia, quæ vocauimus venas vmbilici. non enim Arteriæ esse possunt, quia non solum non deferunt sanguinem fibrosum, & crassum, ex quo tale cor fit, sed postquàm membranas omnes pertransierunt & deuenerunt in locũ fœtus, non tendunt ad regionem cordis, sed munitæ à vessica, diuisæ semper manentes deorsum tendunt, & in coxarum bifurcatione applicantur, quare necessarium est ex duabus venis illam materiam deferri si primo generari cor debeat, at istud etiam non videtur fieri, quoniam statim quòd istæ duæ venæ deuenerunt in locum fœtus, coniunguntur, & superato vmbilico vnica tantum fit, ne ob longum iter sic facilè exponerẽtur iniuriis, ac postquã sic vnica facta est, in illam partem peruenit, vbi est situm Hepar, in qua affundẽdo paulatim quasdam guttas sanguinis generatur id quod communi nomine παρέγχυμα appellatur

latur, quod iam Hepar est; quare cum nullo modo ex vasis vmbilicalibus cor generetur, vt vidimus, necesse est, ducat ortum post Hepar, à quo venæ omnes postea per totum corpus sanguinẽ deferentes, & illud deferant pro cordis constitutione; & sic patet quomodo primo loco genitum Hepar sit sicut etiam primum fuit quod hominem moueret ad generandum. at nónne si primo viuimus vitam plantæ, ac solum attendimus nutritioni primo etiam Hepate indigemus? ac licet id quod nutritur viuere debeat (sic enim Auicen. 3. can. Fen. 21. tract. 1. cap. 2. argumentari videtur) calore autem natiuo viuamus, vitalibúsque spiritibus, quorum omnium fons cor existit, an non inchoato illi homini (ne dicam animali, vel plantæ) sufficiet pro vita calor spiritúsq; vitalis delatus per arterias vmbilicales? est igitur Hepar primum mẽbrum in Homine genitũ, & propter hoc ipso Corde, & Cerebro est vicinus vtero, vt inquit Gal. & ab hoc cæteræ partes corporis habent materiam pro sui generatione mediãtibus venis quæ ab illo ortum ducunt, vt in cap sequenti dicendum est.

Quomodo intelligendum sit venas ab Hepate ortum ducere. CAP. XII.

QVOD autem venæ ab Hepate ortum ducant ex corporum sectione manifestissimum est; præterquamquòd nulla alia pars assignari potest, ex qua illas oriri posse credendum sit: à capite enim eas nõ prouenire vt Polybus volebat & Pelops 3. de hist. anim. cap. 3. sat supérq; Arist. commostrauit, qui etiam Syennesis Ciprij, ac Diogenis patefecit errores cum statuerent alias partes corporis à quibus crederent ortum ducere: is verò suam afferendo sententiam statuebat eodem loco, illas oriri à corde: cui quidem illa medicorum refragatur opinio, cum Hepar statuant earum esse principium, vt à quo deriuari maximus truncus ipsarum clarissime appareat; quòd si rationem huiusmodi parum valere quis dixerit cum exordia rerum quandoq; magna, quandoq; parua conspiciãtur, rationem insequentes sic ipsi medici argumentantur; cur si se-

cundum sententiam Arist. venæ ducant ortum à corde nō pulsant vt arteriæ, & cor: licet enim tot spiritibus esse refertæ non possint, cum sanguinem crassiorē deferant, aliquos tamē adesse oporteret, qui moueri deberent ad motum cordis, & propter tunicam solam qua constant venæ, motus huiusmodi deberet manifestari sed nullo modo moueri apparent vt omnes patet: si deinde venæ instrumēta sunt per quæ defertur sanguis per vniuersum corpus ac naturalis facultas iis intercedentibus conseruatur in toto corpore, vt deinceps dicemus, cur si à corde deueniunt non generatur sanguis & non est naturalis facultas in corde? an non vbi instrumenta sunt, ibi & facultatem esse necessum est? verū si mordicus teneas sanguinem in dextro cordis ventriculo elaborari, ac venas in eodem loco ortum ducere, vt in sinistro arterias, cur est quòd multa animalia dextro vētriculo cordis careāt (vt patet 6. de placitis) cū vena caua manifestissimè in illis sit? an nō quæcunq; pulmone carēt, carēt etiā hoc ventriculo, quasi quòd hic tātū detur pro attenuando sanguine qui postea per venā arterialē deferatur vt illum nutriat? cum igitur iam appareat venas in corde non generari, profectò generabuntur in Hepate, vbi etiam & sanguinis, & naturalis facultatis principiū dabitur. Quòd si etiam non essent oscula illa multa arteriarum cum venis quas Gal. 6. de vsu par. vocat ἀναστομώσεις, quibus mediis sanguis fouetur ab ipso calore cordis forte concedi posset, extremum arteriæ aortæ diuisum in Hepate in plura capillamēta, coniungi ibi cum capillamentis venæ cauæ, & sic fieri vnum ductum ex illis, qui totus foueretur à corde, vnde Arist. saluaretur; sed cum inter arterias & venas dentur oscula illa, vt diximus, non est quòd hunc continuum ductum quæramus arteriarum cum illis, quem sibi visus est intueri subtilissimus ille Philosophus Andreas Cæsalpinus lib. 5. suarum quæstionum naturalium capit. 3. quare cum istæ non appareant vllo modo continuari cum ipso corde, satis probatū esse videtur eas à solo in Hepate ortū ducere; licet posteà dignū dubitatione sit quomodo spermaticæ partes, vt venæ sunt, possint ex Hepate oriri, cū hæc pars sanguinea vere sit? pro quare dice

re dicendũ videtur, eas quidẽ oriri ab Hepate, sed non constare ex substantia illius cũ spermaticam & istam esse oporteat. Quid dicendum est igitur? vbi datur in Hepate spermatica pars ex qua venæ valeant generari? profecto arridet nobis illa sententia qua creditur eas ortum ducere ab illa vmbilicali quæ in Hepate inseritur, hócque mirum videri non debet cum alia pars spermatica in illo loco assignari non possit, & naturæ istud facere nõ fuerit impossibile: vt enim illa acetabula in matrice, ita distẽdi fecit vt generauerint vmbilicũ, cur & hanc venã non poterit sic elongare, & augere vt omnium postea principium fiat? cum desinat igitur in Hepate vena illa vmbilicalis, & ibi capiãt principium omnes aliæ, ab Hepate dicemus eas etiam procedere tanquam ex loco quodam per quẽ primò pertransceunt, at ex vmbilicali illa constare, tanquam ex materia sibi pœnitus simili, ne dicam eadem; verum si dubites quomodo sanguis ingreditur venas si hæ nõ continuantur cũ Hepate, sed tãtum cum dicta illa vmbilicali? dico sanguinem nunquam has venas ingredi cum semper in illis maneat; licet enim ratione illius visceris colorem rubeum sanguis adipiscatur, non tamen credendum est propter hoc, id fieri ex vero tactu rubeæ carnis Hepatis, quoniã isto modo extra venas manens statim transiret in grumum atq; putresceret, & sic natura non pateretur illum in eas reassumere quare ita fieri credendum est, vt scilicet vena illa vmbilicalis postquam peruenit ad Hepar findatur in tenuissimas ac maximè capillares venulas, ex quibus postea & vena Caua constituatur; & vena Portæ à qua Chylus attractus à meseraicis in simam Iocinoris partem, & in conuexã, deferatur tandẽ in ἡπατίτην φλέβα, & quoniã per illa capillamenta Chylus hic suũ iter facit, rubedinẽ facillime acquirit ab ipso Hepate absq; quòd illud immediate cõtangat, ea enim est exilitas ac tenuitas illarum venarum vt sanguificationem vllo modo impedire nequaquam possint. Et hæc de generatione venarum iam nobis dicta sufficiant.

Quod dentur spiritus naturales, & quomodo naturalis facultatis dicatur Hepar esse principium. CAP. XIII.

PROVENIVNT igitur ab Hepate venæ omnes, sed ex vmbilicali vena ortum ducunt, vt diximus quæ disseminatæ per totum corpus materiam deferunt pro partium generatione, & cõseruatione, pro qua semper intercedunt illæ quatuor facultates, quibus sunt ab ortu insignitæ omnes partes corporis (merito seminis, & sanguinis menstrui) vt puta attractione, retentione, concoctione, & excrementorum expulsione, cum sic earundem partium conseruetur natura, & non aliter, vt concedunt omnes; & quoniam natura partium quarumcunq; constat spiritibus, carnosa, & solida parte vt dicit Galen. 11. meth. cap. 1. & quantitas, & qualitas horum semper est in continuo fluxu, ex eiusdem & aliorũ consensu, ideo ad hoc vt natura partium illarum seruari possit, arteriæ & venæ datæ sunt, quibus quantitas & qualitas illarũ seruetur 1. de locis aff. capit. vlt. & quia visum est spiritus ipsos esse vnam ex tribus componentibus partibus maximè præ sua tenuitate faciles, vt alterentur, & dissipentur, vnde. 5. simp. capit. 1 solebat Gal. dicere, calorem innatum (ita enim propriori vocabulo appellatur cum spiritus tunc vocari debeant quando in fluxu sunt) licet omnibus partibus semper insit, non tamen idem numero semper manere: ideo materiam suppeditari naturæ necesse fuit, quæ huiuscemodi calorem seu spiritus consumptos posset regenerare, & quoniam maximè familiaris hæc materia illis esse debebat, ideo quosdam alios spiritus dari oportuit, qui delati ad partes calorẽ illum conseruare valerent, ij verò spiritus, quia non potuerunt esse vitales, cũ isti in suo tẽperamento partes tãtum conseruent, ac tueantur vitam, nec animales similiter cum sensum, & motum partibus solum prestent, necessario dati fuerũt spiritus naturales, qui ducentes ortũ in Hepate ex puriori, & tenuissimo sanguine ac tendentes per venas regenerarent calorem illum in partibus implantatum, pro ut opus erat; vnde bene dicebat Gal. 12. meth. cap. 5. quòd si dantur hi spiritus naturales manent in Hepate, ac venis; ac licet quasi dubitando dixerit, si dantur, non est quod ignorauerit necessitatem illorum, sed

ita di

ita dixit, quoniam non ita certa fides fieri poterat, vt darentur, sicut fit de spiritibus animalibus: & si dixit alienum à ratione non esse, credere vitales spiritus esse in corde & arteriis, licet de his nulla sit etiam euidens demonstratio, quantò magis erit dubia fides spirituum naturalium cum motu careant, & venæ per quas transeunt videantur principaliter pro sanguine destinatæ: dantur igitur naturales spiritus eo modo geniti, vt dictũ est, qui quoniã non ita tenues sunt, vt vitales & animales, tutò per venas ipsas deferri possunt ad partes totius corporis pro regenerãdo calore naturali deperdito, quod esse maximè necessariũ supra satis ostensum est pro conseruãda natura partiũ: & ex his habemus quomodo dicatur Hepar esse principiũ naturalis facultatis, quoniã nõ ratione qua emanet ab illo huiuscemodi facultas, dicitur illius esse principium (iam enim diximus ex Galen. omnes partes corporis insignitas ab ortu esse huiuscemodi facultate meritò naturalis caloris in iis implãtati à semine, & sanguine) sed quia fluũt ab illo spiritus naturales quibus hic calor cõseruatus in esse, nutrire, augere, ac generare potest, cum præsertim tam illud appellari possit principium, à quo non solùm vis aliqua, & facultas quædam procedit, quàm id à quo suppeditatur etiam materia pro conseruatione facultatis illius, vt dicit Gale. 6. de placitis Hipp. & Pla. cap. 6.

Quomodo generetur Cor, & cur mors ineuitabilis sit.
CAP. XIIII.

AT quoniam nulla viscera nec vllæ partes humani corporis gignerẽtur, nisi in semine, et sanguine quædam concretio oriretur, vt dixit Gal. 2. de tempera. cap. 2. ideo calor naturalis proximum instrumentũ virtutis informatiuæ, vndiquaq; in illis existens (licet vt plurimũ sibi dissimilis, vt ex eodem Gal. patet. 5. simplic. cap. 8.) humiditatem primigeniam in qua esse habet sibi assumens, generat diuersas partes in substantia, præ maiori vel minori ipsius vi. et quia calor hic, est maioris potẽtiæ in illo sanguine, qui per venas

in locum

in locum Thoracis deuenit pro generando corde (in hoc etiam præstante auxilio arteria illa vmbilicali, quæ iam vnica facta sursum per spinam tendens in ea parte inseritur, vt libro de Formatione Fœtus inquit Gale.) ideo illud viscus procreat ex substantia perquàm crassa & fibrosa, atq; calidissima; quod quidem Cor statim creditum est ab Aegyptiis esse pondere tantum duarum drachmarum, ac quotannis superadditis illi duabus drachmis, centum pendere quādo 50. annorum est; à quo postea decrescentes quotannis similiter drachmas duas, credunt nil ponderis tunc habere, cum natū est annos centum, & sic opinantur Mortem insequi necessario. Sed cum quoddam cōmentū hoc sit verissimum istud est, ideo Mortem ineuitabilem esse, quoniam innato calore, vt diximus, pro membrorum Formatione depascente radicali humiditate, fit quòd & si membra consistent, & adepta sint perfectionē suam, semper tamen (agente calore illo absq; cognitione) siccescant in dies magis, & tota illa humiditas ad omnimodam consumptionem perueniat, vnde idem innatus calor proprio pabulo cum sit destitutus (licet etiam vt plurimum suffocetur ab excrementis, quæ in nutritione illius non habent exitum extra corpus) necessario marcescit, atq; sic velimus nolimus cedimus Fato; sicque Finis ab origine pendet, vt dixit Manlius, cum calor ille, qui nos à principio efformauit nostri item interitus causa sit, vt à Gale. in libro de Tabe, ac 1. de sanita. tuenda optimè ostensum est. Sed vt redeamus vnde discessimus, cū à vena vmbilicali delatus sit quidam crassior sanguis in locū cordis, ipsummet cor generatur, vt diximus, in quo, propter multū calorem in eo existentem, fit vt sanguis (qui defertur ad illud, aut propter calorem eum attrahentem, aut ratione vacui, siue similitudine totius substantiæ, vt inquit Gal. 6. de vsu part.) continuò feruefiat, atq; tumescat, vnde pulsus ipse ortū habet, cuius gratia fit vt, aëre attracto ex dilatatiōe illius, per pulmones, & ambitum corporis, in excessum calor ipse non tendat, vt ex constritione excremēta genita modo quo possunt, foras euacuentur. Vnde fit manifestum Cor non esse Musculum quendam, vt volebat Hip

bat Hip

bat Hippocr. in lib. de Corde, naturalis enim est eius motus non voluntarius cum moueatur inuitis nobis, & quando à neruis abscissum est, vt patet 7 lib. de Anatomicis administr. in corde igitur à principio suæ formationis inest tanta caliditas, vt motum illum causet, vt diximus, ex qua similiter fit, vt vitales spiritus generentur, qui delati ad omnes corporis partes per arterias (in ipso met corde genitas ex arteria vmbilicali, eo modo, quo de venis in Hepate dictum est.) vitam iisdem omnibus præstent ob facultatem eam Vitalem quam secum deferunt, vt infra melius manifestabitur.

Ostenditur Cerebrum esse partem principalem ipsius corporis, & esse principium Animalis Facultatis, atq; neruorum.
CAP. XV.

POSTQVAM Cor generatum est, incipit generari cerebrum, non quidem vt calorem illius contemperet sicut volebat Arist. 2. de partib. anim. cap. 7 (nisi fortè dicamus, quòd cum respiratione indigeat Cor, quæ quodammodo voluntariè fit sic ab illo refrigeretur) Sed potius, vt constituat animal, cum illi sensum & motũ tribuat, quod alia pars nõ facit; & si enim Cor videatur animali præstare vitam, aliam tamen à plantis non præstat, cum & hæ sine sensu viuant, & motu; quare non solum non famulatur Cordi ipsum Cerebrum, sed est pars multo dignior illo, ob animalis constitutionem, vt vidimus, quòd si dicas animalem illam virtutem proficisci à corde, sed manifestari in Cerebro, vt manifestatur in serra virtus Artificis, cur igitur non dantur in Corde instrumenta per quæ virtus hæc ad cerebrum deferatur? & si iam in Corde datur hæc virtus, cur concedunt omnes spiritus vitales, vt animales fiant elaborari in labyrintho, ac plexu illo mirabili arteriarum, qui in basi ipsius cerebri collocatur? verè igitur est in cerebro virtus hæc, in quo similiter instrumenta illius ortum ducunt, vt nerui sunt: quos etiam à corde oriri putarunt aliqui, cum viderent ex spirituum retentione robur illis augeri; quod &

si verum sit inde illud causari credendum est, quoniam retentis spiritibus contingit in pectore fieri quandam compressionem, qua virtus quæ pro respiratione inseruire debebat fluẽs à cerebro diffunditur ad lacertos viciniores, et neruos quibus addit robur. Alij autẽ, alijs vijs incedentes conati sunt ostẽdere neruos à corde oriri, & dixerũt fines arteriæ aortę desinẽtes in cerebro esse principium illorũ, id quod, vt crediderunt se acutissimè conspexisse, rationibus item illud idem confirmare conantur, & dicunt ex fissibilitate illa neruorum argumentum optimũ duci, illos, ex finibus arteriarum simul compactis, constare: sed ruit horum opinio ex eodem met sensu, cui primò ipsi innituntur, cum ex substantia ipsa cerebri illos oriri, apertissimè pateat: quòd si rationem suam ita faciant, vt sensui nostro eam ante ponant; dicimus neruos esse fissiles quidem vt dicunt: at hac de causa tantũ; quoniam corpuscula multa ex substantia cerebri exorta, simul compacta sunt, & in nerui constitutionem venerunt. cum namq; ipsis neruis maxima validitate opus esset, ob continuum motum illorum, atq; fatigationem, præsertim in via illa longa à cerebro ad pedes vsq;, non poterãt ex vno corpore tantũ cõstitui, vt factũ est de venis & arterijs; quia cum propter spiritus animales dari necesse fuisset in illo cauitas quædam, hunc maxime debilem ea reddidisset, quare venientes in vnum illa corpuscula cum robore maximo ipsum constituerunt, & spiritibus animalibus ea seruata via est, quam omnes cõcedent posse inueniri inter parietes illorũ corporum dum sibi inuicem hærẽt in illorũ constitutione. & sic omninò conclusum sit à Cerebro deriuari animalem facultatem, & neruos, vnde fit, quòd sit vna ex principalioribus partibus corporis ex spermate ipso genita; quæ tantum abest, vt cordi famuletur, vt potius videatur illi cor deseruire, cum materiam ei subministret pro regeneratione spirituum animalium vt videtur omnes cõcedere, quo quidẽ modo fortè posses dicere id ipsum Cor facultatis animalis esse principium, vt pro spiritibus naturalibus supra de Hepate dicebamus.

Ostenditur semen non solum formaliter, sed materialiter etiam in generatione concurrere. CAP. XVI.

HIS verò tribus maximis partibus genitis Hepate primùm vt diximus, quod spacio sex dierũ inarticulatum ferè conspicitur, vt in effluxu saltatricis obseruauit Hippo. in lib. de septimestri partu. Corde postmodum quod difficile est videre quando suũ principium sortiatur, licet id certissimum sit ante diem 30. nil conspicui de illo apparere vt lib. de Formatione Fœtus inquit Galen. ac tandẽ cerebro, quod cũ post cor generetur, post mensem ad minus gigni necesse est; genitis item venis, arteriis, & neruis virtus Informatiua ex menstruo huc illuc à venis delato & ex semine virili in quo potissimum esse suum habet Humanum corpus vndiquaq; perfectum effingit similaribus partibus varium ac multiformis membris, organis q; distinctũ. Verum si impossibile videatur semen concurrere in generatione materialiter, cũ instrumentum illius sit vt dicit Arist. 1. de genera. anim. cap. vlti. & instrumenta nunquàm ingredi videantur opus, dico illa de causa semen appellari instrumentum generationis, quia calidum illud habet in se, quod vere proprium, & principale instrumentum est facultatis informatiuæ, vt dixit Gal. 5 simpl. cap. 8 quod ingredi generationem materialiter nullus dicet; quare cum corpulenta materia seminis instrumentum illud detulerit in locum generationis, quid obstabit quin & ipsa informari postea possit? an non & istud fieri maximè necessarium naturæ fuit pro partium albarum constitutione? cur enim si ad hoc est iam præsens aptissima materia (vt est seminis pars quã diximus) natura amplius elaborabit quærens illam ex sanguine? num semen est album, viscosum, facillimum vt perforetur, & ducatur in dimensiones omnes pro vt opus ipsi naturæ fuerit? & quomodo hæc omnia à sanguine præstabuntur? quæ si præstari possint, cur est vt in iam orto animali, si aliqua ex albis partibus deperdatur nũquàm videatur regenerari? an non semper materia sanguinea, & effisiens etiam (ex quo patet virtutem informatiuam non aboleri

post factam generationem vt quidam senserunt) presto est, vt dixit Gal. 1. de semine cap. 13? cum istud igitur fieri non contingat vnde id euenire credendum est, nisi ex priuatione seminalis materiæ cum omnis abierit in primam animalis conformationem? & si enim post ablatã partem statim contingat poros impleri sanguine & à carne præueniẽte occupari ita, vt non detur nec locus nec tempus quo possit regenerari spermatica pars, vt dicit Gal. 1. de sem. cap. 13. cur igitur si in prima formatione fœtus, abiit sanguis menstruus in huiusmodi partes albas, non poterit etiam tunc ille sanguis, qui porum illum præoccupasse dicitur, aliquo processu temporis fieri pars spermatica? (rationi enim non refragatur quòd, si spermatica pars fit ex sanguine, sanguis hic primùm Caro fiat) cur igitur semper sanguinea est, nunquam alba? videtur igitur semen concurrere materialiter in ipsa generatione, vt dictum est, quod etiam authorit. Arist. confirmari potest, dum 2. de generat. anima. capit. 4. dicebat ossa atque neruos ex seminali excremento esse constitutos: & si ex sententia illius supra diximus semen esse in potentia animatum, num hæc potentia quandoq; reduci debet ad actum? quòd si & istud verum non fuerit cui nã rei deseruiet illa corpulenta materia, post quàm in vterum instrumentum proprium generationis detulerit? dices fortasse nullum vsum amplius habere, sed post efformatum conceptum resolui per insensibilem transpirationem ab ipso calido quod in vtero reperitur; atqui tantum abest, vt ita resolui possit, vt magis potius per ipsum cõstet, & fiat crassior; à frigido enim tantum resoluitur semen in spiritus & euanescit, vt 2. de genera. anim. cap. 2. & lib. 3 de hist. anim. cap. vlt. testatus est Arist. at si ponamus illud resolui, nonne etiam calidum innatum vt sede sua, ac suo pabulo quasi destitutum citius marcescendo deficeret? quare iam concludendum videtur, semẽ concurrere in generatione formaliter, & materialiter, propter albas corporis partes atq; spermaticas, vt per sanguineas menstruum vt sat supérque probatum est.

Quomo

Quomodo fiat temperamentum in vnaquaq; corporis parte, & in toto corpore, & vtrum calor innatus sit cœlestis nec ne.
CAP. XVII.

SED quoniam semen ex sanguine ortum ducit bene possemus dicere totum corpus ex sanguine generari, vt etiam Gal. inquit 1. lib. de Natu. humana, cap. 35. qui sanguis quoniam & ipse simplex non est, sed est compositus ex humoribus quatuor, vt concedunt omnes, ita etiam semen conflatum erit ex iis. quare patet dari in semine, & Menstruo 4. humores idest bilem pituitam, melancoliam, & sanguinem, proportioni respondentes elementis 4. vt calido, frigido, humido, & sicco. vel si mauis ab essentia nominare (vt ait Gal. 1. de sanit. tuen.) igni, aquæ, aëri, & terræ ex quorum diuersa commistione secundum quantitatem, & vires cum possit variari ille sanguis (sub quo etiam semen diximus contineri) vt ait Hippocr. 1. de Natu hum. cap. 19. constat quàm variis modis possit oriri temperamentum. Si namq; pars sanguinis, ex qua conflatur Cor Hepar Cerebrum talẽ commistionem adepta sit, vt quo ad quantitatem & vires bilis in ea exuperet, tunc biliosum corpus reddetur, & calidum atq; siccum, pituitosum autẽ vel frigidum & humidum si contra fuerit, & sic de reliquis aliis tẽperamentis ob prædominium aliorum humorum: vnde dicebat Gal. lib. de arte medicinali, à 29. cap. vsq; ad 45. corpus reddi ita temperatum pro vt Cor & Hepar temperatum fuerit, nisi sibi inuicem obstent vna cum cerebro. quare cum sic temperamentum nascatur, vt dictum est, constat quantus error illorũ sit, qui nolunt istud nasci ex prædominio humorum, dum sibi miscentur inuicem pro solidarum partium constitutione, & si enim quis videatur quandoq; natus Temperamento calido & sicco, ac tamen nunc plurima pituita abundet, non propter hoc tamẽ negandũ est, quin ille sit biliosus, cum nõ sit insequendum illud humorum prædominium quod partes solidas non conflauit & quod adhuc inter contenta reponitur, sed quod iam venit in mixti cõpositionem, vt diximus, quæ quidem mixtio cum in semine illo &

sanguine multum variari contingat propter humorum quantitatem diuersam, ac diuersas illorum vires, vt ex Hippoc. supra diximus, patet quomodo Temperamentum hominis variari quandoq; contingat: & si enim verissimum sit dari in Humana specie Temperamentum quodam vniuersale quod prætergredi haud licet: puta calidum & humidũ, tamen quia maximæ latitudinis est, ideo particulares homines hoc vel illo nõ limitantur, & sic Natura plurimum potest ludere, sed illud cum speciei huius proprium sit impermutabile quidem est, vnde aliqui dixerunt esse substantiam, in qua nullus motus dari contingit. Alij verò existimauerunt illud Animam esse cum viderent perire Hominẽ, hoc amisso, id quod cum à veritate alienum sit, verissimum tamen est Animam corpori adligatam manere illo mediante, & sic quoniam est Basis quædam & Fundamentum quo illa corpori adhæret, appellari potest substantia, sicut etiam Fides substantia appellatur (cum & hæc qualitas quædam sit) quia propter illã iacimus fundamenta nostræ salutis; pro vt igitur Cor Cerebrũ, Hepar acquisierint suam primam constitutionem ex viribus & quantitate 4. humorum, vt dicebamus, ita corpus humanum tẽperatum reddi credendũ est: et si enim quæcumq; corporis partes suum temperamentũ habeant ex prima illorum mistione ex qua constantur, non tamen illud facit ad seruandam illarum vitam, sed eo opus est quod constatur ex temperamento isto innato partium simul cum vitalibus illis spiritibus à corde fluentibus, cum propter aliud hi vitales dicti nõ sint, nisi quia huiuscemodi temperamentum præstantes, sunt in causa quòd vita perduret, vt etiam insequitur Mors horum fluxu deficiente, cum solutum sit illud vinculum quo Anima corpori alligabatur, & si deinde per multum spacium temporis adhuc proprium Temperamentum partium permaneat in facto illo cadauere, vt cuiq; notissimum est. Cum igitur pro cõparando temperamento necesse sit spiritus illos vitales concurrere, ad partes patere iam potest, quod pro vt plures vel pauciores (obstante etiã vel adiuuãte Cerebro, & Hepate) à sanguine calidiori vel frigidiori prouenient, in Corde attenuato

tenuato

tenuato, ita partes totius corporis istos recipiētes prò sua natura variabunt temperamentum à quo postea totum corpus denominatur, vt diximus ex Galeno, atq; ex huiusmodi dictis facillimū est colligere caliditatem illam quæ in viuente est, non differre specie ab ea quæ remanet in cadauere, cum ambo proueniant ex elemētorum mistione: verè enim vna sola caliditas in corporibus est cuius gradus tantūmodo differunt propter partes diuersas in quibus locatur: in corde namq; sic intensus iste gradus est factus quia necesse erat vt genitis quibusdam spiritibus ex ebullitiōne materiei, idest sanguinis ad illud prouenientis ita per illos postea totum corpus melius foueretur, quibus tandē euanescēti bus sola relicta mistione partium, postmodum contabesceret anima iam secessa. in aliis verò partibus corporis non tantum viget hic calor, sed illo tantum præditæ omnes sunt pro vt opus est ad obeundas illarum actiones: quare non est quòd vllo modo dubites si calidum istud elementale voces innatum, quoniam idē est cum illo. Ideo enim proportioni respondet elemento stellarum, vt dicit Arist. 2. de generat. anim. cap. 3. quoniam benignus calor, et mitis est à frigore temperatus, at si verè cœlestis esset cum contrarium non haberet, non indigeret temperamento, nec posset à frigido vnquā corrumpi, vt corrūpi videtur hic noster in multis iter facientibus per niuosa ac frigidissima loca; respiratione etiā aut transpiratione nobis opus non esset si noster calor vere cœlestis esset cū semper hic mitis sit, nec tendere queat in immensum, vt potest elementalis, & vt fieret in corporibus nostris ni refrigeratio superueniret meritò attracti aëris: ac licet multa animalia insecta, ac multæ plantæ virētes frigidæ cōplexionis esse dicātur, non est tamen propter hoc, quin in omnibus iis calidum innatum actiones suas obeat vt obire debet, quoniā dum mistio perfecta manet nulla ferè contrarietas est inter ipsa elementa neque calori est impedimento ipsum frigus vel humidum siccitati, imo ita optimè ista sibi conuenire videntur, vt hac tantum armonia conseruata corpora viuant, vt est de Musica per acutū, & Graue, & si postea cōtraria hæc sibi sint. viuit igitur Musca, Serpens,

pens, Formica, Cicuta, Papauer, omnésq; naturales operationes in iis sunt, licet frigus in iis præualeat; conuenit enim illud ingẽs frigus pauco illi calori huiuscemodi corporũ sic armonicè, vt liberè omnia calor agat pro mixti natura in quo est, donec propter aliam causam deficiat internus calor quàm pugna frigoris cum quo miscebatur, vt in cap. 14. diximus. Et sic verissimũ est Mortem non esse refrigerationem, sed extinctionem natiuæ caliditatis, vt dixit Arist. at quodcumq; frigus accipiendo sicut accipi potest, vt visum est de externo Mors refrigeratio dici potest; & sic habes quomodo in corpore Humano detur tantum vnus calor qui ex face Promethei non est, imò quoniam est ex elemẽtis elementalis dicitur, & quia innascitur cum corporibus ideo appellatur Innatus.

Qui dicatur optimè temperatus homo. CAP. XVIII.

DICTVM est ex Hippoc. quòd pro vt fuerit diuersa mistio humorum secundum quantitatem, et vires diuersum item nascetur Temperamentum in corpore Humano; & quoniam ista quantitas, & hæ vires variæ esse possunt atq; multiplices, ita credendum est in bonitate vel prauitate illud variare posse si namq; temperamentum in Homine à semine, & Menstruo factum fuerit, in quibus sint probè commista, & æqualiter ponderata actiua cum passiuis, illud præ cæteris optimum esse credendum est; propter illam enim virium æqualitatem pugna diutius perseuerãdo tardius dissolui continget, vnde Mors non tam cito veniet, & toto vitæ curriculo optima etiã sanitate licebit frui; tunc verò dicẽtur vires æquales esse inter se, quando in calido, frigido, humido, & sicco æqualitas ipsa apparebit, non dico eam quæ ad pondus est (hæc enim ad vniuersam substantiam refertur, et impossibile est eam in rerum Natura inuenire, cum loco careret vbi manere posset, aut ad quem moueri) sed tantum illam intelligo quæ secũdum iustitiam appellata est, & vnicuiq; generi animantium à summo rerũ opifice est data, pro vt opus erat ad obeundas suas actiones;

actiones; ita vt animal illud, & illa planta verè dicatur esse συμμετρὸς & æqualiter ponderata, quãdo optimè suas actiones obibit per qualitates illas, vnde lucidissimè apparet non esse curandum de æqualitate ea, quæ in puncto solummodo esse habet, vt quando de calido, & humido fit transitus ad frigidum & siccum, quoniam hæc non reddit corpus optimè constitutum, cum subitò incipiant lædi actiones ob subitam mutationẽ æqualitatis illius ictu oculi transeuntis: quare tunc verè Hominem illum poterimus reponere in æqualitate tẽperiei, qui plus cæteris animo valebit & corpore, cum sic necesse sit æqualitatem illam virium attingere, quæ alio modo ostendi non posse videtur, atque hac via etiam quantitas ipsa materiei iusta assignabitur, cum aliter eam definire impossibile sit, existente præsertim indeterminato ipso semine, vt dicit Arist. 4 de gener. anim cap. 4. Hominem igitur optimè temperatum dices, quando optimè suas actiones obibit, vt diximus, quæ quidem cum plures atq; diuersæ fieri in illo debeant, ob multos entis gradus quos in se continet, ideo non solũ Natura fecit illius partes in complexione diuersas ob varias vires atq; materiam illis præstitam, sed sic etiam affabre numerum illarum, magnitudinem, figuram, ac situm variè composuit, sicq; armonicè corporis huius compagem fabricata est, vt meritò cum Zenone dignum sit dubitare, an nos in Mundo simus, vel Mundus in nobis sit, aut omnino simus nos quidam paruus Mundus, vt dicebat Arist. 8. physic. cap. 19.

De quatuor temporibus conceptus. CAP. XIX.

QVONIAM autem fabrica Humani corporis paulatim tota elucescit, ideo quatuor tẽpora præcipuè fuerunt illi assignata, in quibus manifestissimam mutationem capiendo, nomina quoq; mutat, à primo enim conceptu seminis vsq; ad diem septimam fieri in eo incipit delineatio quædam membrorum quã intellexit Hippoc. dum in lib. de Carnibus dicebat in 7. diebus omnia membra esse figurata; Seminiformis autẽ vel Genitura tunc tẽporis appella-

tur, vt dicit Gal. 1. de sem. cap. 9. viuens vitam plantæ, vnde etiã ab aliquibus κύμα vocatum est, quasi germen, quod nomen, vt ait Gale. 1. de causis sympt. cap. 7. seruat vsq; ad 2. mensem. Si autem septem illis diebus contingat egredi ex vtero, appellatur efluxus, vt ait Arist. 7. de hist. anim. capit. 3. licet ab aliquibus aliis ἔκτρωμος dictus sit; sed hoc modo potius vocatur quando primis diebus post diem 7. fieri cõtingat illius exitus idest in principio secundi temporis, in cuius processu deinde, vsque ad finem si fiat, vere Abortus dicitur, vt ex Ari. loco nuper citato patet: perdurat autẽ hoc secundũ tempus à die 8. vsq; ad 40. quo spatio membrorum figurationem conspicuam conceptus accipit, ita vt, si tunc temporis abortus factus mitteretur in aqua, illius membra discernerentur, vt cuiusdam formicæ maioris vt ibi habes ab Arist. hoc tamen verum esse concedunt omnes, quòd pro sexu vario quandoq; hoc tempus variari contingit, cum in 35. die quidam velint masculum figuratum esse, fœminam autem in 40. licet Aegidius in 45. die figurationem semper fieri his duobus versibus decantauerit.

Sex in lacte dies tres sunt in sanguine terni
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Sed de hac re nullam certam regulam afferri posse infra ostendetur nobis, nunc solum id obseruamus quod alij dixerunt vt plurimum euenire; quoad verò perdurat istud ij. tempus fœtus vocatur, vt Galenus dicit & viuit vitam plantæ, vt paulo supra dicebamus de genitura. vltra hoc autem, tertium illud incipit quod est appellatum Tempus Ramificationis, cum tunc incipiat manifestissimè separari venter ab ipsis artubus, & conceptus vocatur illo tempore ἔμβριον, vt patet ex Gale. libro 1. de causis symptom. & viuit tunc tantum vt animal, sic perdurans quousq; vera fiat articulatio, quæ fit ferè in 4. mense vt pluries obseruatum fuisse compertũ est, & hîc sumit initium quartum tempus & vltimum, in quo cum intellectus accedat diuinitus Homo fit, vnde Pueri nomen assumit. & sic vidimus non fieri simul plantã cum Animal, vt neq; etiam Animal, atq; Hominem, sicut dixit

Arist.

Arist. 2. de generat. ani. c. 3. ex quibus possumus liberare Hipp. à calumnia, cum dicant eum fuisse causam vt illa saltatrix, pateretur abortum cum tamen id se nunquam facturum iure iurauerit. Effluxũ enim passa solum est illa mulier, ita vt (si propriori vocabulo loqui velimus) ne dum hominem, sed nec animal quidẽ perire fecerit, vere enim hos attingere nefas est, vt etiam patet apud Arist. 7. politic. cap. 16: manifestum est igitur hominem non generari nisi illis postremis mensibus, quibus nisi maxima vrgenti causa Abortum procurare nullus vnquam sanæ mentis consuleret.

Qua via, & quo alimento nutriatur infans in vtero.

CAP. XX.

VERUM quia non sat erat corpus humanum ita artificiosè fabrefactum fuisse, nisi modum tradidisset Natura cõseruationis illius, idcirco per notabile aliquod spacium temporis, vtero matris ad ligatum manere voluit, vt ibi probè caperet nutrimentum; imò propter hoc tantum, illo loco eum generari sapientissimè statuit (vt etiã 2. cap. dictũ est) cũ ob mẽbrorum formationẽ is non sit necessarius, vt dicit Arist. 2. de ge. ani. c. 4. factũ est igitur vt vasa illa vmbilicalia darentur (de quibus supra egimus) per quæ fœtus posset alimentum surripere pro sui nutritione, & auctione, quæ statim incipit post formatas partes (vt 2. de naturalibus fac. cap. 3. Gal. inquit) isto autem modo ali conceptũ necesse fuit, quoniam non vt volebat Democritus ore nutriri poterat, vt etiã velle videbatur Hipp. libro de Carnibus, (nõ enim cæteris sensibus ociãtibus fœtus degustat vt in lib. An animal sit, quod vtero continetur, falsò Gal. dixisse dicunt) quoniã mẽbranæ impedimento sunt quominus suctio fieri possit per ipsum os; ac licet statim ab ortu mammis os applicemus, non est tamen propter hoc credendum, id nos ex assuetudine quadam facere, quasi quòd sugeremus in vtero sanguinem ab ipsius Acetabulis, istud enim posse fieri negauit Arist. 2 de generat. anim. capi. 5. sed hoc fieri

naturali quodam instinctu tantum, credendum est. Non item ea vera sunt, quæ dicebat Alcmæon, quòd scilicet per totam circunferentiam corporis, fœtus alimentum attraheret, quasi quòd eius corpus esset vt quædam spongia, per cuius poros alimentale humidum traheretur. sed quomodo istius opinio saluari possit iam supra dictum fuit in 9. cap. Quòd item Stoici non vera senserint cum dicerent per intestinum aduenire fœtui nutrimẽtum, credo, patebit omnes. Cum igitur sic per vmbilicalia vasa nutriatur infans in vtero vt diximus, credendum est, ab eo trahi tenuiorem ac puriorem partem sanguinis menstrui, cuius pars crassior postea, solet in partu, & post partum euacuari & λοχεῖα proprio nomine appellatur, quæ est ad pondus semi heminæ, vt dicit Hippocr. lib. de morbis mulierũ: quòd si libro nunc citato, ac libro de Natura fœtus, idem Hippo. dixerit, fœtum attrahere ad se quod dulcissimum & purissimum est in sanguine: vnde mulierẽ habentem in ventre statim pallidam cum virore fieri, non propter hoc credendum est, vt crediderunt quidam, attrahi à fœtu syncerissimã ac floridissimã partẽ totius sanguinis quæ in muliere est, quoniam hæc pars, est necessaria pro nutritione matris, vt primo de generat. anim. dixit Aristote. sed pallidã cum virore fieri illa de causa intelligendum est, quia sanguis ille crassior qui in menstruo reperitur, in venis permanens vsque ad partũ (vt libro de atrabile dicebat Gal. cap. 8.) est in causa quòd plenitudine ac vitioso succo corpus mulieris laboret, cuius contrarium fit, quando fœtus multo indigens nutrimento non solum tenuiorem partem trahit ex menstruo, sed crassiorem etiã, vnde cum vitiosius contraxerit alimentum, deinceps apparet, quando multitudine, ac malignitate variolarum, & morbillorũ corpus infantis repletur propter ebullitionẽ factam à Natura in sanguine illo, ob desecationem partis huius maximè impuræ, licet negandum etiã non sit, ob cõstitutionem aëris ac omnino victus rationem hæc maligniora, & in maiori quantitate fieri posse, sed sat est tunc grauiora fieri hæc accidentia quàm si ex sola puriori parte ipsius menstrui, fœtus nutritus esset; mẽstruo igitur nutritur infans in vtero eo modo

do quo

do quo dictum est, vnde si menses abeant cum mulier vtero gestat impossibile est fœtum esse sanum, vt 5. aph. 60. dicebat Hippocr. sat enim tunc est fœturam ipsam deseruire pro sensibili illa euacuatione, vt testatus est Gal. lib. de sect. venæ aduersus Erasistratũ, & sic habemus ex qua materia & qua via nutriatur infans in vtero, vt ostendendum erat.

Quæ concoctiones fiant in fœtu, & quomodo generentur humores. CAP. XXI.

ASSVMPTVS igitur purissimus sanguis per vasa vmbilicalia & ad Hepar primò, ac inde per totũ corpus infantis delatus pro nutrimento illius deseruit, vt visum est. Et quoniã fœtus non assumit illlud per os, vt iam diximus, ideo non potest in ventriculo fieri prima concoctio, sed bene fit in Hepate, cum ibi desinant venæ vmbilicales per quas dictum est nutrimẽtum attrahi, quod quidem nutrimentum & si sit sanguis quodammodo purus, atq; concoctus, vt patuit, quia tamen corpus embrionis tenerrimum, atq; mollissimum valde est, indiguit vlteriori quadam purificatione, & cõcoctione, existẽs præsertim pars Menstrui, quod omne, inconcoctũ omnino sanguinem esse scimus. Vt dicebamus igitur fit in Hepate Embrionis 1. concoctio, vt ex excrementis coniicere licet cũ tenuioribus, tùm etiam crassioribus vt in omni concoctione fit, id enim quod excernit infans per aluum primis statim diebus ab eius ortu, ab Arist. 7. de hist. ani. cap. 10. μηκώνιον seu Papauerculũ appellatum, est excrementũ crassius, tenuius verò, quod Vrina dicitur, demandatur ad Aqualiculum, & inde per Vrachon deponitur intra Allanthoidem & Amnion mẽbranas, vbi reseruatum vsq; ad pariendi tempus, cum primò excernatur partũ ipsum facilitat, & vocatur omnibus mulieribus Aqua. Sed quomodo illud crassius excrementum in aluum deueniat, non sat manifestũ est, nulla enim via adesse videtur ab Hepate ad intestina, per quã labi posse appareat, nisi ipsæ venæ meseraicæ sint, quæ propter illarũ tenuitatẽ, nõ videtur illo munere fungi posse:

verum si rectè consideremus videbimus, quod Naturæ regenti & gubernanti non est difficilè deponere excrementum hoc per illas venas ad intestina: cum etiam quandoq; coacta, visa sit per vrinæ meatus illud deposuisse crassissimum, vt 4. de histo. anim. cap. 4. patet: dubium ergo non sit, hoc excrementum factum ex se, maximè tenue, non posse per venas meseraicas ingredi intestina, in quibus quoniam diutius reseruatur, ideo apparet esse in maiori quantitate quã conueniret illi paruulo infanti, 7. de hist. ani. cap. 10. & quoniã ibidẽ feruefit à calore, ideo non mirum est si atri coloris & picei excernatur: iã separatis ergo excrementis istis ex Hepate propter primam concoctionem in eo celebratã. secunda concoctio fieri incipit in qua ab vno, & eodem calore in toto illo sanguine agente, quatuor generantur humores in eodem tempore: non enim, vt quidam volunt, successiuè gignuntur, dicẽtes primò generari ipsam pituitam, deinde sanguinẽ, tertio bilẽ, & tandem melancoliam: neque etiam pro diuerso calore partiũ fiuntur, vt alij senserunt: at fiunt quidem secundum Etherogeneitatem materiei existentis in Hepate, in qua solus illius calor eodem tẽpore agit, qui humores cum ita geniti sint, deseruiunt nutritioni totius corporis, dummodo vt excrementa factos Natura eos non recuset, vt bilis est, quæ ad vessicã fellis transmittitur, vt tenuius excrementũ, & Melancolia quæ seponitur in liene, vt excrementũ crassius ij. coctionis: cum enim nutriẽs sanguis vniformis ac simplex esse non possit ob corpus nostrum ex quatuor humoribus, ac elementis compositum, ideo factum est, eundem illum sanguinẽ ex quo nutriri debemus, ex iis fieri, quæ dissimiliũ partium sint vt sunt esculenta & poculẽta omnia; vnde sic factus, feruefieri contingit in Hepate, vbi maxima inest caliditas, & sic calidiores quasdam partes illius separari necesse est, vt de frigidioribus etiam fit, cum nutritioni inseruire nequeant, & hæ partes sunt bilis, atque melancolia in locis illis sepositæ, vt dictum est. Ac licet partes huiusmodi sanguinis pro nutritione nequaquam faciant, quosdam tamen alios vsus habent in corpore necessarios, quoniam ex bile illa, fit stimulus ad aluum exonerandum

nerandum cum ad intestinum duodenũ peruenerit à vessica fellis, ex melancolia autem generatur fames, vt placuit Auic. quãdo à liene proueniens os stomaci vellicando infrigidat, & corroborat; vel per illam potius contrahitur ventriculus, & intenditur donec cibum concoxerit, vt dixit Gal. lib. 5. de vsu par. cap. 4. Postquam autem sic de massa sanguinis pars maximè calida, & sicca, & frigida, & sicca deposita fuerit, vt superflua & inhabili ad nutritionẽ, iam sanguis redditus est aptissimus ad nutriendas omnes corporis partes, cũ quatuor humores ex quibus cõpositus est maximè & hi purgati ac temperati remanserint, quoniam bilis quæ nunc procedit cum sanguine non ita calida, et sicca, aut amara est, vt erat illa quam excrementum diximus, vnde probè nutrire valet calidiores, & sicciores partes ipsius corporis, sicut melancolia etiam est, quæ cum non tantum intemperata vel lutulẽta nunc sit, optimè potest esse alimento frigidioribus, & siccioribus eius partibus: at pituita cum nunquam superabundet (si naturalis sit) semper nutritioni apta est, vel frigida, & humida maneat, vel sit mutata in sanguinem; qui sanguis, vt est quartus humor, est temperatissimus omnium & plus cæteris corpus nutrit nulla moderatione indigens, vnde appellatus est Naturæ Thæsaurum, & habet proportionem duplam ad pituitam, vt hæc ad melancoliam, & ista ad bilem vt Platonici dicunt, ac nũquã præter naturalis euadit, quin prius eius pars tenuior fiat bilis, crassior autẽ melãcolia; nisi cõtingat è venis egredi, quoniam tunc statim in grumum vertitur, atq; putrescit, dũmodo nutritioni cum cæteris tribus humoribus inseruire non debeat, attractus à parte, cũ tunc vt diximus, aptissimus illi sit, præ aliis omnibus qui simul ita egrediẽtes Secundarij appellãtur, & cum primò ex osculis venarum videantur egredi, ac deinde partibus nutriendis apponi, postea glutinari, ac tandem assimilari, vt dicebat Gale. 1. de Naturalibus facult. cap. 11. & 7. meth. cap. 3. significabat, factum est, vt pro quatuor his temporibus: quatuor etiam nomina adepti sint, vt Nomen non habens, Ros, Cambium, Gluten, vt dixit Auic. vnde facta vltima atq; absolu-

ta con

ta concoctione in mẽbris, gignuntur similiter tenuiora, & crassiora excrementa, vt halitus, sudor, & sordes quæ intra Amnion in Puero reseruantur vsque ad Partum quem maximè facilitant ob lubricitatem quam præstant, vt etiam supra diximus.

Quæ sint causæ Partus Immediatæ. CAP. XXII.



T quando nutritio, & auctio infantis in vtero illò peruenerint, vt illi Alimentum ex matre non possit amplius sufficere, ac locus item vteri, vltra distendi nequeat (distenditur enim Vterus propter fœtum vt distenditur stomachus propter cibum, sicut dicebat Gal. 3. de ratione victus in morbis ac. cap. 39.) & propter auctum calorẽ respiratione opus sit (hactenus enim non fuit aër per os attractus, vt ex rubedine maxima pulmonum patere potest, qui aliter se haberent si aër ad illos ingressus esset, cum propter illius commistionem facti fuissent albidi, vt ait Gal. 14. de vsu par.) tunc his omnibus stimulatus Puer, incipiens calcitrare, membranas abrumpit quibus inuoluitur, vnde stimulatus vterus, & à pondere fœtus, & ab humoribus mordicantibus, extra membranas delapsis, vt patet ex Gale. 3. de natural. fac. cap. 12. ipsius fundo tanquam manu quadam illum concomitando per sui ceruicem expellit: in hoc adiuuantibus musculis ipsius abdominis, vt ibi Gal. dicit in cap. 3. Semper verò si naturalis est Partus, caput est primum membrum foras egrediens, non quia sic in vtero fœtus maneret dispositus, quòd arbori cuidam (vt dicebat Varro) similaretur, quoniam non potest probè cognosci, an is teneat sursum caput, vel infra, vt libro de Natura fœtus inquit Hippocr. at sat est illud scire, illum ferè conglobatum, nares infra genua tenere oculos supra genua (vnde in ortu oculi caui apparẽt & genua tumida; & quidam facete dicunt oculos ob dolorem genuum semper lacrimari propter illorum antiquam affinitatem) & aures extra genua, vt ait Arist. 7. de hist. anim. cap. 8. ac tempore quo foras egredi debet, liber cum sit à vinculis, caput ad infernas partes delabitur, quoniam pars quæ ab vmbilico superior est,

magis

magis est ponderosa, quàm quæ inferior, vt ex Aristo. 4. de gene. anim. cap. 9. patet, & Hippocra. in libro de Natura Pueri; Cum enim omne nutrimentum ferè sursum tendat in illo fit, vt partes superiores magis repletæ grauiores etiã fiant: propter quod contingit similiter, Pueros in vtero, semper quodammodo dormitare, quasi sint facti similes ipsis Ebriis, vt dicebat Arist. libro de somno, & vig. cap. 4. cum ergo caput ac superiores partes sint multò grauiores inferioribus quomodocunq; fœtus in vtero maneat, fit, vt liber factus à vinculis illò vergat quo trahitur quasi in statera quadam dependens: & cum à Natura edoctus sit, petit os ipsius matricis, quod tunc tantum dehiscit vt libere per illud foras egredi possit & si hactenus ita clausum permãserit, vt ne acicula quidem ingressa fuisset, vt dicebat Herophilus, adeo vt, bene cum Gal. 15. de vsu par. eo temporis opera Naturæ satis mirari possumus, intelligere autem non; cum tunc etiam obseruare liceat Arcana illius, cum Mas ferè semper nascatur facie prona, Fœmina autem versus Cœlum sublimi, in quo nascendi modo fortasse modus etiam latitat generandi. Sed de hoc infra agendum est. Quoniam verò in illo delapsu quẽ facit Puer quãdo quærit egressum possibile est, quòd aliam posituram acquirat, quã optimam ac naturalem illam quam diximus, ideo contingit multotiẽs egredi pedes ante cæteras partes (& sic nati vocãtur Agrippæ ab egro partu) vel manus ipsas, vel dorsum (quæ sunt figuræ tres præternaturales quas libro definitionum medicorum ponit Herodotus, cum illius librum hunc esse dicant) qui Partus satis difficiles sunt, & periculosi, non solum ipsis nascentibus, sed Puerperis etiã, quæ propter hos quandoq; de mortuæ, relinquunt Cæsares Cæsonésque filios; Vnde antiquiores mulieres maximè hac de causa perterritæ, Romæ erexerunt (ob quandam religionẽ) duabus Carmentibus duas statuas, quarum altera dicebatur Prosa propter bonum, ac naturalem Partum, altera autẽ Postuersa per Partum illũ qui præternaturalis erat, vt inquit Aulus Gellius libro. 16. noctium Atticarum in capit. 16. & Celius

libro 13. antiquarum lect. capit. 40. inquit quòd his duabus statuis quotannis in templo Apollinis has laudes Pueri decantabant:

Prosam accepimus Deam fuisse prioribus
Cui rem Diuinam obirent Puerperæ
Ritu Naturæ quæ peperissent
Sicuti Postuersæ vbi in pedes prodiissent Infans;

Sed iam aggrediendum videtur cur tot temporibus variis Partus Hominis fieri contingant.

Finis Libri primi.

LAVS DEO.

DE GENERATIONE ET PARTV hominis,

LIBER SECVNDVS.

Antiquorum opiniones de vario tempus Partus. CAP. I.



VNC est videnda causa cur Homo inter cætera animalia habeat tempora indistincta sui ortus, vt dicit Aristo.7.de Histo.anima. cap.4 Alij enim septimo mense, nascuntur, alij octauo, nono, decimo, & vndecimo, vt ibidem ille inquit. Quidam volunt Homines ideo nasci diuersis temporibus, quia ad hoc, vt Mundus efficiatur pulchrior, dicunt esse necesse illos nasci vario quodã discursu inter se, varietatem cuius, testantur dari ex differentia tẽporis ortus, quod licet verum esse dicamus, efficiens tamen causa assignata non est quam quærimus nunc, de diuersitate temporis Partus. Arist.lib.10 probl.probl.11. huius varietatis causam esse dicit maiorem, vel minorem duritiem ipsius Vteri: quòd scilicet ille vterus qui fuerit durior, plus onera fœtus portabit quàm qui mollior erit, verum ex suis dictis elicitur hoc contingere in iis quæ differunt specie inter se, nos autem quærimus cur in specie Hominis hæc varietas tantùm accidat. Hippocra. libro de Natura Pueri dicebat causam pariendi citius, aut tardius nõ referri in aliud nisi in maiorem, vel minorem quantitatem nu-

trimenti existentis in corpore matricis, vt hæ scilicet mulieres quæ multo sanguine abundarent pro nutritione fœtus illæ magis in longum partum protraherent, quàm quæ pauco refertæ essent; cuius dicta possent quidem verificari, si quoties esset alimentum consumptũ, parerent puerum; sed id contingere non videtur, imò ob solum defectum alimẽti nullum in lucem egredi fidem faciat translatio illius ab vtero ad mãmas in ipsa genitrice post Puerperium factum, quo solo etiam per multos dies nutriũtur Infantes. Quapropter idẽ Hippocr. in libro de Alimento aliud excogitans dixit, quòd pro vt tempus formationis, & tempus motus in vtero varium fuerit ita etiam variabitur tempus Partus: ex tempore enim Formationis duplato, volebat fieri tempus Motus, & ex hoc triplicato horam Partus, vnde solebat dicere, ad Discriminationem, idest ad Formationẽ 40. dies sufficere, ad Transitum, idest ad Motum 80. ad elapsum autem quod est si dicas ad Partum 240. & quoniam hora Formationis varia est, ac multiplex, ideo etiã motum, ac Partũ variari necesse esse; quæ omnia licet vera esse admittamus oporteret tamen ostendere cur Formationis tempus variari contingat, & sic eundem ferè lapidem volueremus. Astrologi se obseruasse dicunt tũc celerius prodire fœtum in lucem, quando cõceptus fuit, Luna existẽte in opposito Augis ac inferiori parte Epicicli, tardius autem si cõtrario modo disposita fuerit: obseruant deinde an Luna vel alter Planeta, qui Genituræ præsit, sit in signo mobili, vel fixo, aut communi; & an infra terrã, vel supra terram; & an Orientalis, vel Occidentalis, Meridionalis, aut Septentrionalis; Itẽ directus ne fuerit an retrogradus, siue stationarius: & vtrum cum Fortunato, vel Infortunato coniunctus, & quos aspectus ad Solẽ habeat, & quos ad Planetas alios; quæ omnes Astrologorum obseruationes cum obseruatu difficiles videantur, videndum est, an faciliori via liceat hoc cognoscere, quod sequenti cap. indicabimus.

Ostenditur Partum esse quandam Crisim.
CAP. II.

SCIEN

SCIENDVM est igitur, ipsum Partum (cùm sit subita quædam turbatio, & vehementissimus quidã motus factus ab vtero, vel propter nimiam molem, vel aliquod mordicatiuũ stimulans, vt diximus ante, ex Gal. 3. de natur. fac. cap. 12.) nil aliud esse quàm Crisim quandam; vnde colligitur quòd dum mulier vtero gestat, patitur morbum, non quidem in numero, vt multi volunt, cũ fœtus non augeat nec minuat partes corporis in quo est, sed bene, quia deprauat figuram ipsius fit, vt morbus in Figura dicatur. nec est quòd dicas, morbum esse præter naturam, sed vtero gestare, maximè naturale esse; quia etiam mulier ipsa maximè naturalis est, & intenditur à Natura propter conseruationem speciei Humanæ, & tamen appellatur Monstrum, vt supra dicebamus ex Arist. quare quatenus consideremus deprauatam illam figuram corporis in Prægnante, actionésq; læsas hanc insequentes, vt motum, respirationẽ, & alias, Fœtus in vtero dicetur causa morbi, at vniuersaliter istud idẽ considerãdo, & in se, morbũ nullo modo prægnans dicetur pati, quoniã sic conseruatur Homo; quinimò si ita consideretur, tantum abest vt Vtero gestare morbus dicatur, quòd potius est morbus in vtero non habere, cum tunc functione sua propria videatur carere illas pars. Cũ sit igitur morbus illo modo, quo dictum est, necesse erit, illum ad finem suum peruenire, vt cæteri alij perueniunt, qui finis, dicitur Crisis, quæ, cùm à Sole, vel Luna, aut alio Planeta vel Signo fiat siue horum omnium aspectu, vel aliquorum, ita Crisis, quæ Partus dicitur, regulari illo modo oportebit: at hoc, vt melius innotescat, videndum est primò, quomodo in vniuersum fiant Crises in ipsis Morbis. Omnes Crises vel morbis longis succedũt, vel breuibus; isti infra mensem terminum suum habent illi autẽ vlterius prolongantur, vt ait Gal. 3. de diebus decretoriis cap. 7. Morbi autem Chronici, vt ibi Gal. dicit, regulantur à Sole, breues vero, & qui vltra mensem non se extendunt, à Luna, quare ex his quispiã fortè posset elicere, Partum cum morbo succedat Chronico regulari à Sole; quod profectò verum esset si ista Crisis fieret ratio-

ne mutationis aëris, vt sunt hæ de quibus Gal. intelligebat, dum dicebat Crises à Sole fieri, vt est, quando quis in hyeme laborare incipit, & in æstate sanatur; tunc enim alteratur materia morbifica ad oppositas qualitates, mediante Sole, qui ita ambientem aërem primò mutauit, at partus nō fit hac mutatione aëris præcedente, sed immediatè causa cœlestis mutat internam materiā, vt in breuibus morbis fieri solet; quare Luna esse dicetur illius causa, non autem Sol. At hoc fortasse facillimè quis concedet, dummodo & nos concedamus Lunam id facere tanquàm causam quādam immediatam, at mediari virtutē Solis. vt enim dicunt nihil ex virtute propria Lunam in hæc inferiora operari posse, sed quia tantum illi contribuitur virtus à Sole; ita etiam Crises istas efficere non posse affirmabunt, nisi primò virtutem ab illo acceperit, id quod (in quantum pertinet ad præsentem disceptationem) nequaquam concedēdum nobis videtur, imo quascunq; faciat Crises, Sole nil adiuuante, putamus facere. Et hoc manifestissimum inde fit, quoniam quam plurimæ Crises fiūt, illa non existente in Sextili, Trino, Quadrato, aut Opposito aspectu cum ipso Sole, vt neq; etiam in coniunctione; quòd si hoc esset quæ foret assignanda ratio, dum quæritur, cur 7. dies primatum teneat inter omnes alias dies criticas, nō ratione ordinis, sed dignitate, & potentia, vt dicit Gal. 1. de dieb. decret. cap. 7? si enim diceretur illud euenire, quoniam tunc fortior fit aspectus Lunæ ad Solem, an non & hic aspectus fortior aliquando cadere posset in aliis diebus à 7? & si hodie hic in febrem acutam incidat, cras alter, ac perēdie tertius quidam, & sic deinceps multi alij, nónne istis omnibus semper 7. sua dies fortior existet cæteris aliis, licet varij, ac diuersi fiant aspectus Lunæ cum ipso Sole? cū ergo sic semper 7 dies teneat primatum inter reliquas omnes, vt diximus, vni causæ sibi semper per simili id tribuendum est, non autem illi quæ sua variatione causare potest diuersitatem in rebus, vt sunt aspectus nunc à nobis narrati, pro quorum differentia mutationem manifestissimam capit rerum generatio & corruptio, vt quiuis obseruare facillimè potest.

Quæ

Quæ sit certa, ac firma causa variationis dierum Criticorum.
CAP. III.

CVM sit igitur assignanda stabilis quædam, ac firma causa, qua semper septima dies maximis viribus præ cæteris polleat, nulla alia assignari posse videtur, nisi aspectus Lunæ ad signa ipsa Zodiaci; quia enim Luna radiationibus suis alterat aërem, & corpora omnia fit, vt quando, paratos humores ad morbum, commouet, peragretur aliquod signum Zodiaci, à quo talem virtutem suscipiat commouendi illos humores noxios ita, vt, actionibus Naturæ impeditis male corpus afficiatur. At quando Luna, suis radiationibus qualitates cõtrarias in humoribus iis imprimet, tũc Natura excitabitur contra Morbum, cum sic rebelles humores illos non habeat; quibus certè cõtrarietas illa, aliunde prouenire non potest, nisi quando Luna decurrit aliquod aliud signum illi contrarium, à quo prima die affectus discessit (vt dicebat Haly Rodoan in commento super diebus Criticis Ptolomei) & quo maior fuerit huiusmodi contrarietas, eo magis Natura contra morbum insurget, vt in Quadrato sinistro fit, in quo cum Luna respiciat illud signũ, quod peragrabatur in principio dispositionis cui opponitur per ambas qualitates, quæ maxima oppositio est; ideo, tunc maxima alteratio necessario contingit; inter Naturã, et illum Morbũ; & quoniã Quadratus ille, semper fit in 7. die, hinc est diem 7. semper fortiorem esse ac validiorem omnibus aliis diebus: vt si poneremus aliquem incidisse in acutã febrem Luna existente in principio Arietis signi calidi, & sicci, fiet, vt quando peruenerit Luna ad Cancrum frigidum, & humidum (perueniet autem in die 7.) propter contrarietatem illam duarum qualitatum, maxima apparebit mutatio in ægrotante, ob enatam pugnam inter Naturam, & Morbum; in qua, licet quandoq; Natura succumbat, non est tamẽ propter hoc, quin auxilium illud susceperit, à radiationibus Lunæ; sed credẽdum est fuisse tantam impressionem prauarum qualitatum in principio morbi, vt Natura multum debilitata non potuerit postea superare,

rare, quando autem Luna ad libram peruenerit; ideſt ad oppoſitum ſignum, tunc non videtur fieri tanta mutatio, quoniam ſecundum qualitates paſſiuas tantùm oritur contrarietas: poſt oppoſitionem autem cum vires aſpectuū ſemper declinent, fit, quòd non tam validæ mutationes contingant, quare iam eſt inuenta cauſa, cur ſemper 7. dies cæteris aliis diebus criticis, fortior ſit, inceperint morbi qua die, & qua hora volueris. Cum ergo Partus ſit quædam criſis, vt iam oſtendimus inſequens alterationem proprij interni principij, faciētis morbum, hæc quoq; fiet propter aſpectum Lunæ, ad ſigna Zodiaci, Sole nil adiuuante. id quod etiam per Hippocr. confirmatum video, quando libro de Septimeſtri Partu dicebat, ea quæ fiunt in menſibus, eadē ratione fieri, ac quæ facta ſunt in diebus, quare alterationes, mutationes, ac motus in menſibus facti, inſequentur eaſdem cauſas, ac ſi in diebus efficerentur. At quoniam viſum eſt, per aſpectus Lunæ, ad ſigna Zodiaci fieri Criſes dierum, per illos igitur eoſdem Aſpectus, criſis menſium cauſabitur, (dantur enim Criſes dierum, menſium, & annorum, vt dicit Gale. 2. de diebus decre. cap. 10. quibus additur ea quæ fit per quadragenarium numerum, cui ſoli iudiciū partus tribuebat Hippocr. loco ſuperius citato, & nos etiam infra melius examinabimus) & hoc volens idem Hippoc. confirmare, dicebat libro de Carnibus tempus Partus per Hebdomadas numerari, quid clarius? & Partum ſeptimeſtrem habere tres decadas Hebdomadum, & Nonimeſtrem quatuor, quare ſi partus per hebdomadas numeratur, & iſtæ pariunt mutationem in morbis, vt vidimus, Partus etiam per has eaſdē hebdomadas iudicabitur, ac per aſpectus Lunæ, ad illa ſigna Zodiaci, id quod etiam longiori ſermone Gal. oſtendens 3. de diebus
„ decret. cap. 5. ita dicebat, Item omnis actionis initium magnas
„ alterationes in ſeptimanos cirtuitus retinet, quæ nanq; quotidie
„ omnibus, quæ ſubſiſtunt, incidunt, horum cauſam Lunam habere
„ obſeruatū eſt maximè in Tetragonis & diametris ſtationibus
„ ea immutans. Nam ſi Luna in Tauro exiſtente ſemen concipia-
„ tur, vel Partus vel omnino cuiuſdam rei principium contigerit

magnas

magnas eius mutationes inuenias, cum in Leone, Scorpio, & „ Aquario signiferum ambit, verum in Leone Tetragonos, idest „ quadrata statio septimanæ vnius existit, in Scorpio, Diametra „ duas septimanas habet, ita quoq; in Aquario secũda quadrãgu- „ laris statio in tertiam septimanã procedit, idq; necessario, quòd „ Luna sicut ante diximus, vicenis diebus septenisq;, et parte qua- „ dam adiecta, maxima tertia diei parte signiferi ambitum vni- „ uersum peragit: ex quibus colligitur quòd quotiescunq; Luna peruenerit ad Quadratum, aut Oppositum signum semper iis qui gestãtur in Vtero, atq; natis; ægris et sanis, maximas mutationes causabit. Quare Partus Hominis insequetur motum Lunæ respicientis tantum signa Zodiaci, vt visum est, nil adiuuante Sole; licet negandum non sit, illum Generationis eius vniuersale quoddã principium esse, vt cæterarum omnium rerum; verè enim Sol & Homo generãt hominem; imò non tantum Sol illum generat, sed continuo in ventre matris ipsum fouet atq; viuificat, id quod Aegyptij volentes significare, per Orbem Solis bipartitum ac Stellam in eius medio conceptum in Vtero hyeroglipihcè ostendebant; quia sicut stellæ omnes lumen et virtutẽ à Sole recipiunt, ita Fœtus virtute Solis vndiquaq; complexus, tutissimè conseruatur. At in Partubus tãtum sic, optima ratione, fundũtur preces, Iuno Lucina fer opem; Casta faue Lucina; quia Luna illis præest, vt præesse cæteris Crisibus supra satis ostensum est.

Cur Partus diuersis temporibus fiant, & quare isti Vitales sint, illi non, secundum sententiam Antiquorum Philosophorum.


CAP. IIII.

HABEBIT igitur indistincta tempora ipse partus, prout etiam habent cæteræ Crises aliorum morborum, in quibus præcipuè vis ægrotantis attenditur, ac dispositio materiei; non enim in 7. die, aut 14. iudicium sequitur nec etiam tentatur (si bonum futurũ sit) nisi ita præparata materia fuerit, vt Natura valeat contra illam insurgere; id quod cum similiter fiat in ipso Partu, non au-

det Natura Fœtũ expellere, nisi ita perfectus existat, vt illi motui non refragetur, potens se conseruare extra vterum; at quoniã secundum complexionem Parentum ac dispositionem principiorum Generationis, ac multorum aliorum concursum, potest Fœtus citius, atq; tardius acquirere huiuscemodi perfectionem, ac robur etiã matricis ob multa variari cõtingit, ideo quãdoq; esse potest, quòd si in 7. mense ita se validè fœtus habeat, vt membranas quibus inuoluitur, abrumpere possit, & Facultas expellentis Matricis expellere, sequatur Partus. & quoniam ex Fœtus debilitate vel Matris, vel vtrorumq;, vt plurimum fit, motus istos non posse præstari 7. mense, ideo ad 8. 9. 10. & 11. quandoq; retardari videntur, vt fieri etiam in cæteris morbis omnes nouerunt. Sed quare in quibusdam mensibus nascantur Vitales & in quibusdam non, nunc causa videnda est. Communissima videtur esse sentẽtia apud omnes Antiquiores illos Partus esse Vitales, qui septimo mense fiunt, & nono, qui verò nascũtur in mense decimo, & vndecimo, secundum quorundã opinionem vitales esse videntur, & secundum aliorum sententiam, non; nulli autẽ visi sunt eos velle superuiuere, qui nati sunt in Octauo, vt nec vllos etiam qui ante septimum vel vltra vndecimum in lucem venerunt. Hippocrates, ac cæteri medici septimestres Partus statuerunt esse Vitales quoniam fiunt in Quadragenario quinto, quæ anni pars media est. Astrologi autem, quoniam tunc temporis dominatur Luna, qui planeta benignus est ac maximè salutaris, Chaldei verò, quia tunc fit Oppositio Diametra inter solem & signum illud, a quo Sol ipse discessit post horam conceptus, vt refert Censorinus in libro de die Natali, in capite 9. sed Empedocles, quoniam tunc transacta est vna dies antiqua, quæ olim secundum illius opinionem perdurabat spatio septem mensium ob tarditatem Solis in suo motu, vt dicit Plutarchus lib. 5 de Placitis phylosoph. cap. 17. Cicero similiter, quia tunc septem Nouilunia transacta sunt, vt patet libr. 2. de Nat. Deorum Alexander autem ratione tantum numeri septenarij vt videre est 20 probl. probl. 48. cui quidem numero vis tanta videtur inesse

tur inesse, vt quãdoq; boni quandoq; mali solus Author esse appareat, certum enim est quòd nisi à congressu facto, semen virile spacio septem dierũ in Vtero steterit, nil certi potest haberi si factus fuerit conceptus nec ne, 7 de hist. anim. cap. 3. vnde etiam tunc contingere plures effluxus ex Hippoc. possumus affirmare; cui quidẽ Hippoc. tẽpus hoc, non suffecisse pro effluxu saltatricis est manifestum, cum (quasi & ipse tunc obseruando numerũ septenarium) voluerit septies illam salere: quibus addimus quæ ex Gal. paulo supra citauimus, cum ostenderet septimo quoq; die mutationes & alterationes maximas fœtibus ipsis accidere, vt natis etiam, superuenire cuiq; notissimum est; an non ea die videmus, vt plures mori? an non scimus ipsos Antiquiores filiis suis nunquam nomina imposuisse nisi septima hac die transacta, quasi illorum vita fuisset adhuc semper in dubio? huic autem diei quis non obseruat respondere septimum mensem, septimum annũ, 14. 21. ac cæteros omnes sic insequentes? num temporibus istis ferè semper contingit mori, vel saltem egrotum ac valetudinarium fieri, aut res aduersas vel Naturæ incõmoda multa pati? & quis vnquam annum illum sexagesimum tertium (quem κλημακτήρικον græcè dicunt, idest scalarem, qui resultat ex ductu numeri septenarij in Nouenarium, cui etiam dicunt latitare nescio quid mali) transegit (pauci autem sunt qui pertrãseant) qui maximo suæ vitæ discrimine & infortunio quodam eum non peregerit? num Octauianus ille Imperator significauit Cassio, se lætari quã maximè huius anni maximè formidabilis transiisse fines? sed quod vim maximam ostendit numeri septenarij est, dum dicitur, septimum masculum natum ex parentibus iisdem, nulla intercessa fœmina, vim habere curandi Scrophulas ad instar Regis Gallorum solo contactu, ne dicam tantum verbis; sed quid plura de isto numero? an non vita Hominis septem dierũ est ex Hippocrate lib. de carnibus? quare non sine ratione optima visus est Alexã. tribuisse huic numero primas partes pro septimestri Partu cũ tot viribus videatur pollere vt ostensum est. sed dicũt Pytagorici septimestrẽ Partũ id eo Vitalem esse quia in mense perfe-

cto nascitur, cuius perfectionem sumunt, quia constat ex mare & fœmina, hoc est ex pari, & impari, id quod sic solent ostendere, constituũt triangulum scalenum A.B.C. cuius latum B C. vnitatum quatuor faciunt, latũ autem A.B. vnitatum 5. & latum A.C. vnitatum 3. modo multiplicant. 5. per 4. & habẽt 20. deinde 5. per 3. & constituunt 15. quem cum superiori numero coniungunt & habent 35. qui multiplicatus per mediũ spaciũ trianguli id est per 6. reddit numerum 210. qui sunt menses septem. similiter multiplicant 5. per 4. & fit numerus 20. postea per se multiplicant 5. & inde consurgit 25. qui numerus coniunctus priori fit 45. & hic tandem multiplicatus per 6. reddit numerum 270. ex quo nouem menses constituuntur, & sic patet quomodo ex ductu numerorum parium, & imparium fiat septimestris & Nonimestris Partus vitalis apud Pytagoricos, quòd si 3. in 5. duxeris 15. habebis, ac ducto in sese 5. constituitur numerus 25. quos si vnâ composueris 40. fiet qui multiplicatus per ipsum mediũ spacium trianguli, id est per 6. reddit 240. qui numerus est tempus octo mẽsium: quare patet ideo vitales nasci in septem, ac nouem mensibus, quia coniunctio naturalis fit masculi & fœminæ, indicata per numeros 4. et 3. vel 5. at in mense octauo, quia non ducitur numerus mas cum fœmina: ideo in lucem venire nullum vitalem volunt. Medici postea dicunt in 8. nullum vitalem nasci, quoniam in 6. quadragenario venit in lucem, vel quia acquisiuit fœtus tantam debilitatem dũ exitum quæsiuit in 7. vt postea resistere nequeat extrinsecus lædentibus



lædentibus causis. Astrologi verò quia tunc dominatur Saturnus, qui est Infortuna maior. Chaldei quoniam nullus aspectus fit inter octauum signum, & primum. Omnes autē postea dicunt, Partū æditum in 9. mense vitalem esse quia fit in quadragenario 7. Auctæ sunt vires. Est Dominium Iouis. Aspectus Trinus est factus. Nouem sunt Nouilunia transacta, & numerus est compositus ex impari & pari. vt supra diximus. In mense autē Decimo vult Hippocr. hominem nasci vitalem, ac magis etiam quàm in nono, quoniam cum & iste sit in Quadragenario 7. plus illo altero lōge est à sexto. Astrologi quidem volunt illum superuiuere, sed parum, propter dominium Martis, cuius causa multis motibus in vtero laborauit, quibus debilis factus moritur paulò post. Sed Chaldei omnino asserunt eū superuiuere propter ipsum Quadratum. Empedocles verò dicit hunc partum Decimestrem esse vitalem, quoniam & tunc antiquissima dies consumpta est, quam tanto tempore primo illo æuo constasse affirmat ob maximam tarditatem ipsius Solis, vt ante etiam dicebamus. Pythagorici autem nolunt esse superstitem, quoniam numerus ille non constat ex fœmina, & mare. μυθόλογοι inter cæteros partus hunc maximè dicunt esse vitalē, cum illū ostendant fingendo Saturnū spacio decem mēsium manere alligatum vinculo quodam laneo, ac deinde solutum abire, vt refert Macrobius ex mente Apollodori libro 1. Saturnalium cap. 8. Ouidius etiam primò Fastorum inquit Romulum illa de causa statuisse annum decem mensium

Quòd satis est vtero Matris dum prodeat Infans. & 3. Fastorum dicebat,

Annus erat decimum cum Luna receperat Orbem
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti per quos numerare solemus
Seu quia bisquino fœmina mense parit.

In vndecimo autem mense, multi sunt cum Hippocra. credentes Vitales nasci non posse, & si alia ex parte alij quidam sint, qui

nasci posse testentur, sed vtrum rationibus, & authoritatibus istorum Antiquiorum credendũ sit, postmodum manifestũ erit.

Affertur propria sententia qua creditur Partus quandoq; Vitales esse, quandoq; non. CAP. V.

PROFECTO si licuerit in medium afferre nostram sententiam credimus nos, illa, quæ fiunt in mensibus, verè eadem ratione fieri ac quæ facta sunt in diebus, vt dicebat Hippoc. in libro de septim. Partu; sed sic illud dictum interpretamur, vt scilicet illæ alterationes, ac motus qui inceperunt in ipsis diebus, perficiantur in ipsis mensibus; vt. v. g. ab ipso conceptu facto fit statim in die 7. maxima alteratio (vnde aliâs diximus ex Hippocra. tunc contingere plures effluxus) ob signum contrarium quod Luna reperit dum peragratur Zodiacum; quem motum, & quam alterationem opinamur etiam nos sequi, non solum in oppositione, & quadrato dextro (& si non tam valide) illius primi mensis Lunaris, sed aliorum etiam omnium quousq; illo peruentum fuerit, vt fœtus ac facultas Matricis ita disposita sint, vt illi motui amplius non refragentur, vt ante fecerunt; imò tale auxilium illi cõtribuant, vt omnino motus ille appareat, qui iam Partus est. Vt enim in cæteris aliis morbis dum inconcocta materia est, nunquã sequitur aliquis motus Criticus, nec videtur illius materiei aliqua facta expulsio (nisi symptomatico quadã modo) licet ratione superioris virtutis, & in 7. die, & 14. aut aliis diebus Criticis fieri potuisset, ita rationi consentaneum est, idem contingere in ipso Partu, quoniam & si ratione aspectuum is posset fieri in vno quoq; mense, quia tamen fœtus adhuc ita nõ est dispositus, vt nutrimentum extra vterum suscipere valeat, ac duriorem locum, et aëris alterationes perferre, ideo Naturam nullo modo stimulans ocio ibi considet quousq; potis sit hæc facilè tolerare, vt supra diximus in cap. 3. Si igitur hoc verum sit vt verum esse videtur, dico, non posse assignari vllam causam qua fœtus in 7. aut 9 mense vitalis sit, quin etiã in sexto, 8. ac cæteris aliis assignari queat,

motus

motus enim validi cum possint contingere in quadratis, & oppositionibus quorumcunq; mensium, vt iam visum est, cur si in fœtu dabitur tanta virtus vt quocunq; mense possit abrumpere mẽbranas quibus inuoluitur, atq; externis rebus resistere, ac virtus Matricis ab eo stimulata valida ad expellendum fuerit, non nascetur semper Vitalis? si enim ex Temperamento sexu, ac multis aliis intrinsecus, & extrinsecus occurrẽtibus causis, possunt fœtus in indeterminatis mensibus suam acquirere perfectionem, cur est quòd velimus illos determinatis, ac certis mensibus nasci si ex eademmet perfectione eos in lucẽ edi contingat vitales? an non fœtura assimilata est ab ipso Gal. 3. de nat. facul. cap. 3 illi concoctioni, quæ fit in stomaco? & si hæc perfecta esse potest, licet citius aut tardius celebretur vel propter assumptos cibos varij ac diuersi temperamenti, vel propter maiorem, vel minorẽ virtutem stomaci in concoquendo, cur est quod Vitalem Partũ non posse fieri credamus omnibus mensibus, si propter iam dicta potest omni mense reddi perfectus? Et si Fructus dum coniungitur arbori ibi tantum temporis permanet quousq; coctionem suã adeptus sit, cur etiã fœtus (qui à Gal 3. apho. com. 1. & à Stoicis fructui ipsi, optima ratione assimilatur) non nascetur perfectus si in vtero tandiu maneat quousq; maturationem suam adeptus fuerit? licet enim verum sit fructus omnes habere tempus suæ perfectionis statutum atq; determinatum, an non & iis sæpe sæpius contingit, in vna & eadem illorum speciẽ, ante, & post illud tempus, innumeros perfici ex illorum diuerso temperamento ob diuersitatem loci, vel ob aliam causam contracto? quod si hoc verũ sit cur, & hoc idem, Hominibus euenire nõ posse credemus? Fatemur quidẽ & nos, Lege quadam Naturæ vt plurimũ perfici Fœtum in nono mense, sed tamen non credimus propter id ita hoc tempus illi limitatum fuisse, vt aliis temporibus nasci vitalis non possit, & Abortiuus ille dicendus sit, qui ante nonum hũc mensem venit in lucem, vel si post, Monstrum, vt super secundo libro de diebus decretoriis Ioannes Lalamantius sustinere conatur: licet enim cæteris animantibus præfixum sit pariendi tẽpus.

pus, vt is probat ex Hippoc. Gal. Varrone, & Plinio, hoc si credendum sit, à summo rerum Opifice ideo consultum fuisse dicendum est, vt commodius fœtus suos alere possent, cũ semper istud facere eis non licuisset; vnde etiam istis, certa tempora data sunt quibus moueantur ad generandum: sed Homo vt in quacunq; anni constitutione, & quocunq; tẽpore generare valet, vt ait Arist. 5. de hist. anim. cap. 8. ita etiam parit sine alia temporis certitudine, semper enim filiis suis, parare cibum scit, & eos custodire temporibus omnibus nouit. non est igitur quòd miremur si quãdoq; audiamus aliquos in quinto mense vitales fuisse natos, vt plures nasci apud Valentinos, & incolas Madriti testatus est Ferdinandus Mena, in cõmentario libri de Sept. Partu. & Hieronymus Montuus cõfirmauit de Pincerna Henrici Regis Gallorum; fieri enim facilè potest, principia generationis ita quandoq; disposita reddi, vt Fœtus citò validus factus ad resistendum extrinsecus lædentibus causis is etiã citò stimulando ipsam Naturam foras ab illa expellatur tempore illo Critico. quòd si in mense quinto credamus istud posse contingere, continget etiam in sexto, vt ait Auicen. in 9. de Animalibus, et etiam in octauo sicut Arist. 10 probl. probl. 40. & 7. de hist. anim. cap. 4. dicit in Aegypto euenire, vt in Naxo Cœlius; an non & sic cecinebat Cecilius?

Insolétne mulier decimo mense parere?
Pol nono etiam septimo, atq; octauo.

Id quod etiam Plinius affirmabat in libro 7. suæ naturalis historiæ ca. 5. vt de iis similiter testabatur qui in 11. nati erant, vt fuit Suillus Rufus, & Marcus Curio: & si hoc est, cur etiã fieri non poterit fœtum tantæ imbecillitatis quãdoq; gigni, vt Naturã non stimulans vllo modo, extendatur illius Partus ad menses alios? cur igitur ea esse non poterant quæ cecinebat Homerus?

Gaude hoc complexu, nam cum se voluerit annus
Illustres natos paries, haud irrita Diuûm
Connubia:

At Ti

Ac Timæus non ne credebat ſemper geſtari fœtum in vtero ſpacio duodecim mēſium, ſed nouem, aut ſeptem exiſtimari quoniā non ſemper à conceptu menſtrua ſupprimuntur? Plinius poſtea loco ſuperius citato non ne dicit Lucium Papirium natum fuiſſe in menſe 13? & cur non eſt præſtanda fides ipſi Auicen. dum 9 libro de Animalibus aliquem 14. menſe fuiſſe natū affirmat? & quando Nicolaus Maſſa in 2. libr. ſuarū Epiſtolarum medicinalium in Epiſtola vltima dicit iam ſeneſcentem mulierē in menſe 15. hominem peperiſſe, quare non audiendus veniet? Iā ergo ſatis patere poteſt nullo modo poſſe ſtatui aliquos menſes vitales pro partu aliquos autem in quibus naſci vitalis homo nō poſſit, cū in omnibus quibus naſcimur ſuperuiuere poſſimus, ratione qua vna cauſa eſt, ob quam in lucem perfectos ac vitales edi contingit tam in quinto & 15. menſe quàm ſeptimo, aut 9. id eſt perfecta conceptus diſpoſitio, atq; matris; & ſi poſtea omnes non ſuperuiuere poſſint ob alias cauſas vt omnibus notū eſt: ſed ſi Antiquiores defendi poſſint nunc nobis manifeſtabitur.

Oſtenditur non poſſe aſſignari tempus, quo Partus, Vitalis, vel nō Vitalis eſſe dicatur, cùm ex ſuppoſitionibus Antiquorum tùm etiam ex deceptione mulierum in enumeratione mēſium ſuæ fœturæ

CAP. VI.

QVONIAM Octim. Partus præcipua ac potiſſima cauſa eſt, qua diuerſa tempora ſtatuantur pro Vitali partu, & non Vitali; videndum eſt nunc, an rationes Antiquorum quibus probabant natū 8. menſe non poſſe ſuperuiuere, ita validæ, ac firmæ ſint, vt mutari ſententia non poſſit, & quod primo pertinet ad Hippoc. dubium valde eſt, quomodo ipſe velit ratione 6. Quadragenarij Octim. Partum nunquā eſſe vitalem, vt ſuperioribus cap. dictum eſt: cū namq; iſti ſui Circuitus à nulla cauſa ſuperiori videantur regi, nō ſolum non apparet cur 6. quadragenarius debeat eſſe deterior 5. vel 7. imò in nullis horum videtur eſſe vis aliqua iudicandi: quæ & ſi adſit, cur quæſò tantū differt ab aliis? num voluit ipſe Hippocr. in 22. die huius 5. quadrag. Vitalem fieri Partum, cū

ante, nullo modo vitalem statuat? sed quamcunq; diem accipias, mensem, vel annum criticum, num in totis illis euadet vel morietur æger? at condonemus hoc circuitibus istis, & cōcedamus Hipp. ideo septim. Partum vitalem esse quia fit in die 22. quinti Quadrag. quæ est anni media pars: nonimestrem autē & Decim. quia veniunt in lucem in 7. circuitu: mori autem Octim. quia natus est in 6. quadrag. an non forte ex aliis suis suppositionibus probari poterit dari hunc Octim. partum vitalem? si enim verum sit, quod libro de Alimento conceptis verbis expressit, hoc est, ex tempore Formationis duplato sequi tēpus motus, & ex hoc triplicato horam Partus haberi, an non & is quandoq; cogetur dare vitalem natum octauo mense? cum namq; Formationis tempus, & secundum illius opinionem, & aliorum, fit vt plurimum in 40. diebus, an non si 8. mēses multiplicauerimus per 30. dies reddent numerum 240. vt reddit numerus ille Formationis primò duplatus deinde duplatus hic triplicatus? quod si dicas non debere accipi mensem 30. dierum, sed 29. cum dimidio vt patet per Gal. lib. de septim. p. an non etiam ex suppositione illa Hippo. vitalis erit partus octaui mensis? certe quidem: quoniam si fuerint multiplicati menses 7. per 29. dies cum dimidio, reddetur numerus dierū 206. cū dimidia parte vnius diei, et si accipiatur aliquem fuisse formatum in diebus 35. (sicut omnes ferè concedunt, vt plurimum fieri & præsertim in ipsis maribus) qui duplati cum sint ac isti deinde triplicati videbimus similiter enasci numerum dierum 210. in quibus per Hippo. deberet Partus esse vitalis; sed cum mēsis ille septimus terminum suum habeat in die 206. & dimidia tantum parte diei, num Partus hic habebit fere dies quatuor de 8? num sic igitur Hippo. cogetur dare Partum vitalē 8. mensis? quomodo igitur firmæ sunt regulæ illius pro determinatione temporis, quo partus superuiuere, & non superuiuere possint? Sed examinemus iam rationes Astrologorum; Dicunt Astrologi ideo Octim. Partū non esse vitalem, quia Saturnus frigiditate, & siccit. sua vel etiam proprietate occulta illū perimit: sed an istud etiam iis credendum sit? licet enim conce-

damus

damus vires quas dicunt, inesse Saturno, qui fieri tamen poterit vt semper dominetur octauo mensi, cum omni die, & omni hora mulieres concipere videãtur? quod si velint, ideo dici semper dominari hunc planetam in primo mense quoniam tunc Genitura indiget retentiua virtute quæ fit meritò frigiditatis, & siccitatis, quarum qualitatũ maximè Saturnus est Particeps, vt Iouem in 2. non solum vt caliditate & humiditate sua frigiditatem & siccitatem illius reprimat sed vt Genitura distendi ac dilatari possit: sicut in 3. Martem, quo desiccatis superfluis humiditatibus reddatur fœtus aptus ad motum, & in 4. Solem vt viuifico suo calore absolutè animetur Embrion, in 5. Venerem vt reprimat sua frigiditate calorem Martis, ac Solis, & illius humiditate augmentet carnem. in 6. Mercurium qui sua siccitate contemperet superfluum humidi à Venere inductum, in 7. Lunam, quæ multa sua humiditate carnem atq; pinguedinem nutriat, & augeat, & in 8. iterum ad Saturnum reuerti dominium, qui propter frigiditatem, ac siccitatem vel occultam proprietatem dictam perimat Partum; an non & in brutis opus est primo mense retineri genituram illorum, vt 2. dilatari, & extendi, & sic deinceps vnoquoq; mense virtutes à planetis recipere, vt in hominibus euenire dicunt? & si hoc sit, cur est, aliqua animalia vt puta Ceruos (6. de histo. anim. cap. 29.) semper 8. mense vitales nasci? quod si similitudo non teneat, cur igitur in Aegypto & Naxo insula (vna ex Cycladibus) vitales Octimestres nascũtur vt diximus ex Arist. & Cœlio? & si id ex loci proprietate contingat, cur Aristo. 4. de genera. anim. cap. 4. absolute expressit, octauo mense natos superuiuere posse? scio quidem dices & istud esse cõtra experientiam cum nũquam apud nos visi sint nati in 8. mense qui postea superuixerint, quod similiter affirmant omnes prudentiores mulieres, quibus in hac re non est deroganda fides, vt ait Hip. li. de sept. P. sed quis experiẽtiæ huius poterit esse iudex? dicta fortasse mulierum audiemus si ipsarummet incuria vel illarum potius quadam deceptione in enumerandis mẽsibus (more græcarum, vt dicebat Arist. 7. de histo. anim. cap. 4.) ad

cõmuni quadam falsa suppositione, cum pepererint in 8. vitales, in 7. tamen, aut 9 peperisse garrire volunt? quis vnquam iis fidẽ præstabit? scisciteris tu ex quibusuis mulieribus prudentissimis (si nostris temporibus adsint) vnde sumant principium enumerationis Mensiũ suæ Fœturæ, & deinde videbis si vlla fides iis adhiberi possit: Omnes enim postquam sibi senserũt menstrua defecisse (latet enim omnes hora conceptus) enumerare statim incipiunt, & quoad illis non caruerunt ad septem vices vel nouem, edere se Partũ vitalem non posse dicunt; sed non ne sic facillimũ est, istas decipi, cum contingat eas semper concipere post illuuiẽ menstruorum, aut quando menstrua instant, vt ait Hippocr. lib. de morbis mulierum, & Gal. lib. de dissectione vteri? si enim hoc sit, nonne cogentur quandoq; tres vel quatuor dies accipere, ac si essent triginta, & sic capere nonum mensem pro 8. septimum autem pro sexto? vnde si Hippocr. accusatur audaciæ à quibusdam, cùm voluerit dies quindecim accipi pro vno integro mense, quid dicendum erit de mulieribus? sed concedamus posse reperiri mulierem, quæ horam conceptus optimè nouerit, ac sicut castissima illa Zenobia, nunquam nisi semel concubuerit viro post expurgatos menses, ni primum senserit ob eos iterum redundantes, aut certissimo alio signo non esse grauidam & sic enumerauerit optimè menses illos, & in octauo Partum ediderit, qui postea mortuus sit; num etiam propter hoc dicemus nullos eorum qui nascuntur. 8. mense vitales esse? an non & illos mori contingit, qui nono mensẽ nati fuerunt, & septimo? an non Euriphon ille Gnidius volebat nullos septimestres Partus esse vitales cum fortè plurimos vidisset non superuiuere? non est igitur quòd mulieres semper dicant atq; testentur Octimestres Partus nunquam vitales nasci cum illius horam non nouerint, vel si nouerunt, non obseruauerunt eos posse viuere et mori, vt possunt hi qui 7. & 9. mense nascuntur, sicut etiam qui mense quinto, 6. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. in lucem venerunt, vt visum est ex authoritatibus probatissimorum hominum, & rationibus nobis superius allatis: quare (vt reuertamur vnde discessimus) non est in hoc casu

præstanda

præstanda fides Astrologis, cum satis tuta eorum opinio non sit, vt sat superq; probasse videmur, vt neq; etiam ea Pythagoricorum est, quæ ab Aristo. tantum fuit reprobata dum in suis methaph. omnem vim à numeris auferebat: & sic iam satis patere potest (inanibus rationibus aliorum omissis) Octim. partum esse posse vitalem, cum vt cæteri alij determinetur tantum ob virtutem Fœtus atq; matricis, quæ mensibus omnibus potest ad Partũ accõmodari: Vere igitur solis Hominibus pariendi tempus enorme est, vt dicit Arist. 4. de gene. anim. cap. 4. vnde cum ita incertum atq; indeterminatum sit, non est, vt possit vllis obseruationibus, siue regulis obligari ad hoc vt vitalis vel non vitalis fiat, vt nec similiter potest determinari tempus, quo masc. vel fœm. generetur, & quo Mora illorum in Vtero dici possit maior, media, vel minor, vt omnes ferè conantur eis assignare, & si sibi postea non cõueniant vllo modo, vt verè conuenire non possunt, propter tempus illud incertum, vt dictum est.

Quæ sint causæ sterilitatis, & quomodo illis sit succurrendum. CAP. VII.

CVM iam igitur habeamus quomodo propter filiorum propagationem ipsi homines se conseruent in sua specie, nunc considerandum videtur, qui Homines illi sint, qui hoc tributum Naturæ reddere nequeant, & si enim Homo inter cætera animantia maximè prolificus sit, vt dicit Arist. 4. de gen. anim. cap. 3. esse tamen potest, in aliquo viro, & in muliere aliqua ita impediri principia atq; instrumẽta Generationis, vt inde insequatur sterilitas, vt si in viro peccet semen, vel quantitate vel qualitate, impediri generationem necesse erit, quoniam si semen fuerit in quantitate minori quam opus sit, cui dubium generationem non posse insequi? attẽdendũ est igitur, in debita mensura semen tunc præsto esse, quando quis liberis operam dare vult, quam quidem mensuram & si indeterminatam esse supra dixerimus ex Arist. sat est, posse quãdoq; reperiri in tam pauca quantitate, vt virtus formandi Ho-

minē in ea permanere nequeat, cum virtus omnis semper mēsuretur secundū quātitatem materiei in qua sita est vt dixit Arist. 4. de gene. anim. cap. 4. istud autē in ieiunantibus omnibus euenire compertum est, quibus ob seminis paucitatem potentia generandi est ablata, imò omnino etiam ablatus stimulus carnis, vnde dictum putatur, Salinam hominis ieiuni Scorpionem occidere, intelligendo per Scorpionem ardorem ipsum Venereū (licet ita moraliter non accipiat Gal li. de inequali intēperiè ca. 8) vt sic etiam Astrologi ipsi intelligunt, dum genitalibus eum dominari dicunt, ac dum iudiciū Geneastæ faciunt de futura libidine in illo Homine in cuius natiuitate fuerit Horoscopus Scorpio: ac licet etiam cibus assumptus sit, esse tamen potest, semen in illa mensura non generari, vt oporteret, quod euenire poterit, vel quia alimentum assumptum probi succi non fuit, vel si fuerit tale illud omne sibi Natura assimilauerit, vt iis accidit qui maximè pingues sunt, & carnosi, vt primo de genera. anim. & 3 de hist. anim. cap. 8. Arist inquit. At si fuerit semen in debita quātitate, potest esse impedimento generationi si malè qualificatum, vel corruptum postea sit: vt si excedat in nimia frigiditate, & humiditate: esse nequit, vt in generatione locum habere possit, vt ex illo seniorum, ac puerorum coniicere licet: vnde propter aliā causam non sunt steriles qui se multum inebriant, nisi quia suum semen frigidum, & humidum nimis reddunt, vt inquit Arist 3. probl. probl. 4. debet enim semen, quod generationi inseruire debet, ita esse crassum, atq; spiritibus plenum vt si immittatur in aqua fundum illius statim petere videatur, at si super illam natare appareat, ob sui frigiditatem & humiditatem sterile iudicandum est, vt dicit Aristo. 2. de gener. anim. cap. 5. & lib. 5 de histo. anima. cap. vlti. istud tamen verissimum est, semen non debere accedere ad tantam caliditatē atq; crassitiem vt recedat à moderato, esset enim & hoc impedimento generationi, vt cecinebat Lucretius in lib. 4. suæ naturalis Historiæ

Nam steriles nimirum crasso sunt semine partim
Et liquido præter iustum, tenuiq; vicissim.

Tenue

Tenue locis, quia non potis eſt adfigere adhæſum.
Liquitur extemplo & reuocatum cedit abortu:
Craſſius hoc porrò quoniam concretius æquo
Mittitur aut non tam prolixius prouolat ictu.
Aut penetrare locos æque nequit, aut penetratum
Aegrè admiſcetur muliebri ſemine ſemen.

Et ideo alibi dicebat,

Vſque adeo magni refert vt ſemina poſſint
Seminibus commiſceri generarier apta
Craſſaq́; conueniant liquidis, & liquida craſſis.

Corruptũ ſimiliter ſi fuerit ſemen (quod ita erit ſi nõ redoleat flores Sãbuci, vt dicunt) generationi inſeruire non poterit vt in morboſis hominibus euenire videmus, qui vel nõ generant, vel ita morbidos, & lãguidos ſibi parant filios, vt ſe in illis perpetuare nequeãt: verum licet ex parte ſeminis probè poſſit inſequi generatio, inſtrumẽta tamen per quæ ſemẽ, iſtud deferri debet in locũ matricis, ita laborant quandoq; vel intẽperie mala, vel mala cõpoſitione, vt pœnitus generationẽ valeãt impedire; quãdoq; enim ob frigidam qualitatem ſic torpet genitale mẽbrum in viro, vt excitari nequeat ad generandũ, vt etiã interdum ob ſui caliditatẽ ſic reſolutos habet ſpiritus Nerui Caui vt pœnitus ignaue videatur iacere; quod ſi Audax etiã videatur eſſe, poteſt tamen in paruitate quãdoq; in magnitudine, et figura eſſe ſic monſtroſum, vt nõ ſolũ præ difficultate coitus vir & mulier Ardea fiãt, illiſq́; noceat empta dolore voluptas ſed omnino iam factũ coitum reddant plerunq; inanẽ ad ipſum conceptũ, inter quos ij potiſſimum ſunt qui ὑποσπαδίιοι, id eſt ſubuulſi vocantur, cũ propter diſtortũ membrũ rectà ſemen eiaculare nõ poſſint, vt inquit Gal. 15. de vſu par. cap. 3. Atſi ex parte viri, ſemen, & inſtrumenta bene ſe habeant, & nõ ſequatur conceptus poſt abſolutum complexum, tunc ex parte fœminæ ſterilitatẽ prouenire credendum eſt, cuius vterus ita quandoq; lubricus ſit, vt dicebat Ariſt. 7. de hiſto. ani. cap. 3. vt ſemẽ in illo videatur extingui, vt extinguũtur Cerealia ſemina in Paluſtri loco ſicut habemus ex Gale. 5. apho. aph. 62.

cuius rei fidem faciunt meretriculæ ipsæ, quæ nunquam vel rarissimè concipiunt ob leuitatem contractam in suis vteris propter continuam fricationem, & pollutionem in illis factam: siccitas etiã muliebrium locorũ impedire conceptũ potest, cum ibi vt in quadam terra argillosa committatur semẽ virile, vt ex frigiditate etiam fit vel secundas non nasci, vel ita angustas ac tenues gigni, vt iam factus conceptus per eas nutriri nequaquàm possit; at si caliditas in muliebribus illis locis exuperet, idem accidit cum receperint semẽ, ac si sub Cane alia quædam semina in terris demandata fuissent. quibus additur non solum huiuscemodi intemperies esse posse sine materia, sed etiam cum materia, vt habes ab Hippoc. in libro de Natura muliebri, vbi pituitam, & bilem peccantem docet cognoscere ex mensibus desiccatis super arenam, vel super linteos; at si intemperie nulla laboret vterus, & bene se menstrua habeant cum semine, tunc si generatio non insequatur, in cõpositione laborabit fortasse vterus ipse, & erit vel distortus, vel retractus, aut euersus, vt ex loco nuper citato ex Hippocr. planum fit, vel vt ipse dicit 5. apho. aph. 46. os vteri propter omẽtum compressum erit; quare non est simpliciter credendum. si ex suffimentis factis in muliebribus locis ex mirrha, thure, & similibus, & illorũ odor ad nares peruenerit, mulierem non esse ex se sterilẽ, vt 5. apho. aph. 59. dicebat idem Hippocra. istud enim solummodo arguit, ex frigiditate vel obstructione totius corporis eã non esse sterilem sed ob multas alias causas esse posse iam dictum est: ac si etiã ex inunctione oculorum dulcescat saliua in ore eius, non propter hoc tamen credendũ est quin sterilis esse possit, cum causæ sterilitatis sint plures, vt nuper diximus: verũ si illi impedimento generationis, quod ex mala instrumentorũ conformatione procedit, difficile admodũ sit occurrere, facile tamẽ est, aliud tolli posse quod nascitur ex quadã mala intẽperie seminum atq; menstrui, vt si possit aliquis coniectari vel ex temperamento totius corporis, vel testiculorum semen in viro valde frigidum esse, & propter hoc ex se non aptum generationi, tunc si accidat illum mulieri cuidam commisceri, quæ semen

menstruum & vterũ ipsum calidum valde habeat, facilè fiet, vt semen illud generationi inseruire possit, vnde ab Arist. dictũ fuit 4. de gene. anim. cap. 2. societatẽ in causa esse, vt multi generent, vel non generent, vnde volebat ipse Gal. loco superius citato intemperatum virum coniungi cum muliere temperata, vel cum intemperata sed ad oppositam qualitatem, quas coniunctiones facere dixit Plato in Theeteto quòd spectabat ad obstetrices, vt quæ colligentes fructus noscant etiam oportet, quod solũ, quo semine seri possit; sed cũ istæ nõ possint à nobis tutò Pronubæ admitti ij optime consulent qui corporum temperaturã probe nouerunt vt est ipsemet Hippocra. qui quoniam vidit vt plurimum sterilitatẽ ipsam venire ex parte mulieris, idcirco regulas quasdam tradidit, quibus cognoscitur quæ sint illæ quæ admittentes quẽlibet virũ facile propagent filios; vnde in 2. li. Præd. dicebat eas mulieres magis aptas esse ad concipiendum si paruæ fuerint quam si magnæ, vt in omnibus animalibus etiam euenire dicebat Arist. 1. de gen. ani. ca. 8. quod ideo verificari credendum est, quia dum corpus est magnum, facilè omne sibi nutrimentum assumit, ac paucius excrementum relinquit aptum pro ipsa generatione, & nutritione conceptus (quod corpus paruum nõ facit,) vt etiam voluit Arist. 4. de gener. anim. cap 4. dicebat deinde Hippocr. tenuiores mulieres facilius impleri, quàm illæ quæ crassæ sunt hac fortasse de causa quia non augetur eius frigiditas naturalis, nec potest omentũ comprimere os vteri vt contingit in crassis sicut ex Hippoc. supra diximus: albas deinde rubicundis, ac nigras liuidis præferebat propter fœcunditatem, quoniam ob rubicundum colorem possemus arguere de nimia caliditate cum cutis similis efflorescat humoribus, vt Gale. inquit 1. aph. aph. 2. vt obliuiditatẽ de exuperante frigore propter quãdam indicatam extinctionem caloris, quæ item mulieres conspicuas habent venas facilius impleri dicebat Hippocra. eodem in loco quàm illæ quæ ita conspicuas non habent, & hoc tribui posset in multũ nutrimentum quo tunc ipsæ abundare videntur: concipere item illas facilius asserebat, quibus mammæ tumidæ ac

magnæ essent, quàm quibus essent paruæ, & graciles, causam cuius euentus illam esse putamus nos quia quando Vbera grandiora sunt, indicium est multas superfluitates ad illas tendere à toto corpore, & præsertim à capite, & sic partes totius corporis bene perspirabiles remanere quod maximè necessarium esse ad hoc, vt conceptus fiat supra diximus ex Hippocra. 5. apho. apho. 59. at si graciles mammæ fuerint cum non sic excrementa corporis expurgentur est indicium apertissimum obstructionis, vnde huiuscemodi mulieribus suffocationis periculum imminet, vt libro de glandulis Hippoc. testabatur, & hæ steriles sunt, vt plurimum. Qui igitur mulierem sibi coniunxerit, quæ sit eiusmodi conditionis, vt diximus, absq; dubio ditescet dulcibus filiis.

Quomodo ex accidenti, generatio impediri possit. CAP. VIII.

VERVM si tam ex parte viri, quā ex parte mulieris vtrūq; principium generationis bene se habeat, & tamen sterilitas adhuc insequi videatur, sciendū est ex multis aliis causis eam induci facillimè posse; vt si quis non habet optimè dispositum corpus quando liberis operā dare vult, nunquàm sui voti erit compos, vt si etiam occasionem, ac modum concumbendi non obseruauerit mirum non erit si progenie carebit; non enim semper est dispositum corpus ad generādum sed eo tempore potissimum ad hoc commodum est, quando est constitutū in mediocritate omnium excessuum, id est nec nimis plenum, nec nimis vacuum fuerit, calidum vel frigidum siccum aut humidum, vt dicebat Gal. in libro de arte medicin. cap. 56. ob nimiam enim repletionem non datur liber transitus ipsi semini, vt dicebat Aristo. 4. probl. probl. 10. vnde Plato præcipiebat in 3. dialogo de lationibus legum virum non debere mulierem amplecti, quando pluribus cibis corpora illorum repleta sunt, cum tunc ad generandum apta non sint, vt patet etiam apud Aristo. 3 probl. probl. 32. id quod temporibus nostris non obseruatur imò ni tempore nuptiarū præcesserit opulentissima cœna,

mensæq;

Mensæq; Siculæ paratæ sint quibus sponsus & sponsa plurimum crapulati fuerint, non videtur coniungi posse, quod nefas est; Hoc si quidem est verissimum necessarium esse assumpsisse cibos antequã Hymeneus celebretur, sed in quantitate pauca, & boni ac multi nutrimenti; vnde Hippoc. dicebat in libro de superfœtatione meracissimum vinum ante coniunctionẽ bibendum esse & edulia fortia commedenda; imò si in excessibus istis debeat quis amplecti mulierem satius est amplecti repleto corpore, quã vacuo; vt habemus ex Gale. loco citato non solum enim id tunc magis faciet pro comparandis filiis, sed etiam pro sanitate seruanda, vt fit etiam si calidum & humidũ fuerit magis, quàm si frigidum, atq; siccum. Sed quod spectat ad ipsam occasionem illa quidẽ maximè pro generatione oportuna est quando ita disposito corpore, vt diximus paulo post à cœna antequàm somnus irrepat concubitus fiet, vt inquit Paulus lib. 1. cap. 35. & Plutarchus 3. symp. probl. 6. licet pro tuenda valetudine tunc coitu vtendum sit, quando cibus post ipsum prandium descenderit, vel quando post cœnam quis paululum dormierit, vt inquit Aetius lib. 1 serm serm. 3. cap. 8. quod etiam velle videbatur Hippocra. 6 epidem. dum dicebat labor, cibus, potus, somnus, Venus. Sed isthæc quidẽ etiã non sufficit obseruasse nisi naturale desideriũ coeundi moueat ad generandũ; si enim quis excitetur à quauis læuissima causa & omni Venereo appetitui quis indulgeat Indorũ more, non solum non generat, sed ex Viro adulter fit, aut planta quædam ex Animali. Cum quis igitur Naturâ ad generandũ impellitur, tunc illi operi attendendum est, vt docet Plutarchus in laconicis suis Apophtegmatibus: ex parte autem mulieris illa occasio est aptissima pro liberis generandis quando menses fuerint expurgati, vel quando iam expurgari debent, ita enim absterso vtero facilius illi adhæret virile semen, neque extra fluit vt fit si adhuc fluentibus mensibus illud intersit; quod etiam, si quandoq; propter Vteri auiditatẽ accidat retineri, corrumpi necesse erit, vt dicit Gal. 3. de naturalibus fac. cap. 3. & sic vel nõ fiet generatio, vel corrupta & leprosa fiet vt inquit Azarauius;

quia si prima die qua mēstrua fluunt, inquit is, cōceperit mulier, natus deinde quando erit annorum 12. leprosus fiet; si verò conceperit in 2. die lepra apparebit quando 13. vel 15. annorum erit, vt in anno 26. & 36. si in 3. die ab inceptis menstruis illa semen Vtero retinuerit, verum si leprosus omnino non fiat Natus, mente saltem captus Infans videbitur, qui propriori vocabulo appellatur à Leuinio Quarta Luna Natus, cum tunc vt plurimū menses suos patiantur mulieres: dum igitur menstrua fluunt, generationi attendendum non est vt frustra etiā laborabis si ante fluxum illorum ei incumbas; quia cum asper vterus nō sit factus, semē illi adherere nequit, nisi iam iam incepturi sint, vt diximus quare illa occasio coeundi sumenda est pro filiorum generatione, quando scilicet menses aliquo modo erumpere incipiunt, vel post illorum factas expurgationes, vt dicebat Hippocr. libro de morbis mulierum, & Gal. libro de dissectione Vteri, tunc enim coniunx est amplectenda quæ potius coiux dicenda venit ab ipso coitu, qui tunc temporis admittendus est; imò si in occasione ista vir videatur frigere stimulantibus est vtendum vt Coriandro, Nasturtio, Cinara, Satirio, &

> *Ea quæ frugifero seritur vicina Priapo,*
> *Excitet vt Veneri tardos Eruca Maritos*

Vt Columella canit in lib. 10. & si hæc non sufficiant aliis vti licebit & potissimum ipso sale qui præ cæteris omnibus maximus stimulus est ad Venerē, vt fidē faciūt Aegyptij, qui nō propter aliud prosequebātur odio maximo ipsum mare nisi quia cōtinentiores præ cæteris existentes timebāt ne si quādoq; illo vterentur lasciuiores fierent ob eius salsedinem, vt dicebat Pierius; vnde etiam scimus populos quosdā ex Nicarauia in ieiuniis suis se pœnitus à sale ac rebus salitis (maximo nostro pudore) abstinere, ne tempore continentiæ, magis ad libidinem incitentur & fiant in Venerem proniores vt dixit Lucius Faunus: si quis igitur eo tempore Amphione Turcarum careat vel herba illa Theophrasti quæ Seleuco dono data est ab Indorū Rege sale ipso vtatur &

tur & fiet salax, vt tunc mulier petit, In modo etiam concumbendi plura obseruanda sunt ad hoc, vt conceptus insequi possit, quia & si illa corporum positura optima sit quam superius diximus ostendi in natiuitate masculi, & fœminæ cum hic prono corpore nasceretur, illa supino, vt tamen obseruatio hæc plerunq; aliter se habet, ita etiam non sic tutus est ille coeundi modus ob acquirendam prolem, ac est alter quidam qui à Lucretio sic decantatur in libro 4.

Et quibus, ipsa modis tractetur blanda Cupido
Id quoq; per magni refert nam more ferarum
Quadrupedumq; magis ritu plerunq; putantur
Concipere vxores, quoniam loca sumere possunt
Pectoribus positis sublatis, semina, lumbis.

Illud etiã attendendo quod sequentibus carminibus admonebat.

Nec molles opus sunt motus vxoribus hilum
Nam mulier prohibet se concipere, atq; repugnat
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet
Atq; exossato ciet omni pectore fluctus
Eiicit enim sulci recta regione, viaq;
Vomerem, atq; locis auertit seminis ictum:
Idq; sua causa consuerunt scorta moueri
Ne complerentur crebrò grauidæq; iacerent,
Et simul ipsa viris Venus vt concinnior esset
Coniugibus quod nil nostris opus esse videtur.

Quibus additur quod Mesues monet libro de Aegritudinibus Matricis cap. 14. ne scilicet aër Vterum ipsum ingrediatur dum concubitus fit, cum per illius ingressum facile semen corrũpi possit: præterea aduertendum est ex Gal. 14. de vsu par. vt semina coniugum hora generationis simul concurrant, cum & istud pro illa comparanda necessarium satis esse testetur, quod si non possit hoc obseruari, vir saltẽ sollicitet citius decurrere spa-

cia amoris, quam ipsa mulier quoniã si hæc citius polutione corripiatur Vterus quodammodo frigefactus difficilius postea semẽ Virile attrahit, vnde impedimentum generationi fit. His igitur omnibus sic ritè obseruatis vt dictum est in celebrando Hymeneo, absq; dubio Proles optata sequetur, ni tamen ex quadam occulta proprietate aliqua impedierint, de quibus in sequẽti cap. agendum est.

Quæ sint illa quæ ab occulta proprietate sterilitatem inducant, & quæ à tota substantia conceptum adiuuent.

CAP. IX.

AT si optime se habet in Viro & Muliere Principia et instrumẽta Generationis, & corpora illorũ bene disposita sint, & occasio, ac modus in generando sit obseruatus, mirũ etiã non sit si filij non propagẽtur: ea enim Humanæ Naturæ conditio est, miserrima quidem, & deploranda satis, vt non solum habeat certissimos hostes, sed insidiatores etiam quàm plurimos: quæ enim ratio assignari potest, qua Cor cuiusdam viui muris dissecti, adligatum bracchio generationem impediat, vt dicebat Sextus? cur auricularis digitus alicuius Abortus appensus collo mulieris sterilitatis est causa? quare genitale lupi hora desponsationis comprehensum nodo nomine aliquorum, impotentes reddit ad generandum? o Infirmum Hominum genus: an non & species quædã lactucæ est, quæ à Pythagoricis Eunuchon vocata fuit ab effectu quem præstat si comedatur? num propter hoc Callimachus dixit, Adonem eam comedendo mortuum esse, & Cœlius testabatur illum à Venere inter lactucas sepultum fuisse? sed quid de salice? num pingebant Antiquiores Priapum illum custodem hortorum, tenentem manu falcem quandam salignam, vt modus ostenderetur extinguẽdi cupidinem generandi? num illius semen ὠλεσίκαρπον appellatũ est, & Mors Genituræ? nũ forte salices vincula illa creduntur quibus præcingere nostros lumbos debemus vt castiores simus? sed vt dicã, cur est, vt si animalis cuiusdã sterilis vterus, vel omnino caro

no caro comesta fuerit, sterilitatem inducat? an non & palumbes ipsæ istud idem præstare possunt & si etiam non sint steriles? num dici solet,

Inguina Torquati tardant hebetantq; Palumbes
Non edat hanc volucrem qui cupit esse ferax?

An non sic vocantur quia parcere lumbis faciant? vnde hoc? Vitex, filix, & plura alia non ne hominum generationi insidiari videntur? cum igitur multa ex occulta proprietate generationi Hominis aduersentur hæc præcaueat oportet qui cæteris aliis obseruatis, natis munire senectam querit, quæ & si etiam non sat videantur esse, confugere ad illa poterit, quæ similiter à tota quadam substantia generationi creduntur opitulari, vt est assidua comestio vteri ipsius leporis; frequens Polyporum cibus: lapis, qui reperitur in ventriculo cerui, adligatus brachio coagulum leporis suppositum, & inter cætera salis frequētissimus vsus; hic enim non solum maximus stimulus est ad Venerem, vt supra dicebamus in cap. 8. sed fœcunditatis quoque potissima causa est; vnde Arist. 6. de hist. anim. cap. vlt. dicebat mures illos impleri sine alio coitu, qui tantum sal comedissent; & propter salitas aquas multa animalia fœcunda reddi idemmet testabatur 1. de hist. anim. cap. 19. vt reddi fœcundas mulieres ob assumptionem illarum, cuiq; notissimum est quotidie, an non & ipsi agricultores vites suas fœcundas reddunt dum irrigant illas vrina, quæ salsa est? cur igitur Bohemorum ceruinos fungos afferri curabimus, aut aquam ex stagno Gelonio, vel ex Nilo petemus si sic ex sale fœcunditas tanta datur? & si hoc verū sit, & ad manus omniū est cur insequemur Pythagoricorum insomnia dum pro filiis comparandis Tabellam quandam numerorum tanto labore construunt? num crediderūt ij, ex numero septenario in se ducto effici quendam Quadratum, qui, ascendente Venere (cui dicatū esse dicebant) insculptus certo quodam ordine in argentea lamina, vim haberet non solum reddendi fœcundos homines, sed inimicos

trahi

22	47	16	41	10	35	4
5	23	48	17	42	11	29
30	6	24	49	18	36	12
13	31	7	25	43	19	37
38	14	32	1	26	44	20
21	39	8	33	2	27	45
46	15	40	9	34	3	28

trahi ad amandũ, veneficia diſſolui, vxorem marito, & hunc illi conciliari? vides hic illorum Tabellam, vt ſolebant cõponere; in qua licet pulcherrimũ numerorum ordinẽ admirari poſſis, cum illius vniuerſæ ſeries reddere videantur vndiquaq;. 175. verã tamẽ illius obſeruationem ſi repereris mirum erit.

Quomodo maſculos quis generare facile poſſit, & quomodo fœminas. CAP. X.



T quoniam aliquibus non ſat eſt ſibi filios propagare ſed iſti maſculam Prolem vellent, alij autem quandoq; deſiderant fœminas; ideo videndum eſt ſi vllus modus et obſeruatio aliqua ſit, qua Genitores voti compotes reddi poſſint. Illud verò primò ſciendum eſt quòd qui Natura erant ſteriles, & arte facti ſunt potentes ad Generandum, nunquàm iſti maſculos procreabunt, ſed ſemper fœminas, vt inquit Ariſt. 7. de hiſt. ani. cap. 6. qui autem ſemper ad procreandum apti fuerunt hi facile conſequentur maſculã prolem; & de his nunc loquendo, dico eos facillimè poſſe maſculos generare ſi ſtudebunt reddere ita calida principia generationis vt natura reddi poſſit maximè valida ad expellendum foras omnia membra; id quod potiſſimũ fit (mitto nunc obſeruationes cœleſtes Aſtrologorum & imaginationẽ de maſculo dũ conceptio fit, vt ait Conciliator in differentia 28.) ex optima ſex rerũ non naturalium adminiſtratione verſus ignem tendente, vt dicebat Hippo.

Hippocr. in libro de Dieta; ita enim reddetur ſemen ad ſimilitudinem grandinis, quod non ſolum pro generatione abſolutè aptũ erit; ſed pro maſcula prole aptiſſimum; vnde eſt. Ariſto. præcepiſſe 7. politi. cap. 16. viros 36. annorum natos, coniungi mulieribus agentibus annum 18. ætatis ſuæ, tunc enim ſemen perfectum in ambobus iam factum eſt, vt diximus, nec ita tenue eſt ac fluidum, vt omnes generare fœminas valeat, vt in adoleſcentulorum coniugiis fit, atq; puellarum, ex quibus & ſi concipi, ac naſci videamus quandoq; maſculos, inutili tamen ac puſillo corpore ſemper manent, atque parum valent ingenio, vt ibi inquit Ariſt. & vt dicã ego ſemper Pueri ſunt, vt à Parentibus Pueris generati; ne igitur Pomiliones naſcantur omnes, & ne præ illorum corporum paruitate & debilitate ſimiles fiant Phyletæ Coo (hic enim tam paruo & debili corpore fuit, vt ne deportaretur à vento pilas plumbeas alligatas ſemper pedibus deportabat vt teſtatus eſt Cœlius) ſed vt cũ robuſto corpore vigeat Intellectus, in ætate perfecta ac matura liberis detur opera, vt dictum eſt. At quoniam non etiam ſufficit ita diſpoſitum ſemen habere, vel per ætatem, vel per Adminiſtrationem ſex rerum nõ naturalium, vt diximus, idcirco alia quædã obſeruanda veniunt, ſi prole maſcula potiri volueris, ideo ſciendum eſt, quòd ſemper Natura Particularis Maſculos procrearet propter primum illũ motum quem Ariſto. 4. de generat. anim. cap. 3. ponit in ſemine viri, eo quia ſemper eo motu mouetur materia generationis ab ipſo ſemine, quo id ipſum mouebatur ab ipſo patre, vt fit in organis cuiuſcunq; artificij ſed quia motus hic vt plurimum impediri poteſt, ob contrarietatem quam reperit in materia fœminæ, ideo non generatur Maſculus tunc, ſed fœmina quidẽ fit, & hoc admittit vniuerſalis illa Natura ob ſpecici conſeruationem, vt aliâs dictum eſt; quatenus igitur ſemen ex viro ipſo procedit, ſemper propter motum illum quem diximus maſculum generaret, nec opus eſſet illud fore craſſius, aut tenuius niſi ob alteram contrarietatem fœminæ, motus ille deperdi poſſet & induci cõtrarius, id quod cum fiat caliditati illius eſt attendendum & fri-

gitas etiam quæ est à muliere obseruanda est, vt dicemus: cum enim ex totius corporis frigiditate multæ relinquantur materiæ inconcoctæ in corpore mulierum ex cibis plurimis quos assumunt, vt primo libro iam diximus, fit, quòd cum iis menstrua iã generentur illa frigiditate affecta, sint semini impedimento, & motum contrarium illi habeant, quo sæpe sæpius illud superantia constituant fœminas, qui igitur studebunt sibi masculos procreare, coniungãt se oportet mulieribus iis, quæ vel propter calidius temperamentum totius corporis (cuius plurima signa supra in cap. 6. dedimus ex Hipp.) vel propter Dictam tendentẽ ad ignẽ, vt dicebamus de viris, reddant suum semen & menstruum non ita frigidum, vt motum seminis viri impedire queãt: & propter hoc bene à quibusdam est obseruatum tunc potissimum generari masculos quando post expurgatos menses à 1. die vsq; ad 5. vir mulieri coniungitur, tunc enim menstruum calidius factum est, quoniam ab Hepate, & Rene dextro procedit sanguis ad partẽ dextrã vteri, vnde sic facile motus ille seminis impediri nequit, vt fit quando à 5. die vsq; ad 8. ex rene sinistro sanguis serosior attrahitur in sinistrum sinum matricis, quo tempore fœminæ generantur: vt ait Leuinius Lemnius libro sæpius citato: prout igitur quis cupit mares, vel fœminas generare, calidius vel frigidius menstruum comperire studeat, ex quo suum semen elaborare valeat quod desiderat; & hæc est sententia Aristo. 7. de histo. anim. cap. 6 quando dicebat semen posse effici marem, & fœminam. Ad hæc autem, locus in causa esse dicitur pro masculorum vel fœminarum generatione, vt si coniunctio fiat versus Aquilonem mas concipitur, vt inquit Aristo. 4. de gene. anim. cap. 2. vt meridiẽ versus, fœmina; idq; cùm credidisset Empedocles dicebat viros esse duriori, ac spissiori carne, quàm sint mulieres, cum has ad meridiem fateretur esse conceptas, illos ad Aquilonem, in mulieribus enim cum calor probè cõcentratus non sit, superfluas inquit; nõ dissipauit humiditates, quod factum fuit in viris, vt qui loco frigidiori orti sunt. Est item sententia Hippoc. in lib. de superfœtatione, ac Leophanes etiam istud credidit, vt si dum

quis vult

quis vult operam dare liberis suum sinistrum testiculum obligauerit, sine dubio masculos procreabit, si dextrũ fœminas, quorũ opiniones damnauit Arist. 4. de generat. anim. cap. 1. cum dixerit generare mares vel fœminas, esse propriũ calidioris, vel frigidioris seminis non autem testiculorum; sed si semen ex dextro teste proueniens magis calidum sit, quàm si proueniat ex sinistro (quia nil cõmiscetur illi de serositate, vt in isto fit) cur est quod Hippocra. aut Leophanis opinio sit reprobanda? an non & rustici dum ex Tauro masculam prolem volunt, ligant illi sinistrum testẽ? & quomodo in his qui iam hircire incipiunt possemus diiudicare si masculos primò, vel fœminas generabunt, ex tumefactione dextri, vel sinistri testiculi, vt dicit Galenus 6. de morbis vulg. & 14. de vsu par. nisi verissimum illud esset? vt hoc igitur sat clare constat, ita neq; illud etiam sperni debet. Non item est contemnendus Hippoc. dum monet in libro supra citato, quòd si quis masculum vult procreare, coire debet cum muliere cui mẽses nuper desierint, & quàm penitissime genitale membrum illi intrudere, quousq; semen eiecerit, (non enim ἐκμαῦνηται legendũ est sed ἐκμιαίνηται potius et si Cardanus suo modo legat, ac vertat non deseuiat, vt ferè omnes alij vertunt sed deseruiat, vt patet in commentario suo super libro de aquis, aëre, & locis lect. 92.) ita enim semen calidius in vtero existens masculum procreare facilè poterit. In semine etiam eiaculando obseruandũ est, quòd primæ emissiones illius ab vtero possint recipi, quoniam cum calidiores sint eiaculationibus insequentibus, vt inquit Gal. 2. de semine cap. 5. (licet Arist. 2. de generat. anim. cap. 4. contrarium senserit) facilè masculorum generationi inseruire poterit, vt fœminarum vltimæ: multa item alia sunt quæ sua quadam occulta proprietate hunc vel illum sexum conceptibus condonare valẽt, inter quæ, vt ait Dioscorides est decoctum Mercurialis, quod si fuerit assumptum ex Mercuriali masculo, mares faciet procreare, at feminas si ex fœmina: Masculos itẽ procreari dicebat ex Arrhenogono, Cratæogono, Phyllo, ac dextra radice Cynosorchæos. Erotis verò, qui Trotula ab aliquibus appellatur, dicebat

vuluam leporis exsiccatam ac redactam in puluerem à muliere assumptam reddere filios Masculos. Alij quidam inquiunt quòd si Genitores biberint ex aqua Charadri (hoc est fluuium Ciliciæ) sine dubio procreabunt mares. Iacere autem super latere dextro vel sinistro post absolutum congressum, non omnino negarim facere ad masculorum vel fœminarum generationem. & si potius credẽdum sit, ex positura huiusmodi perfectiorem marẽ vel fœminam generari, bene enim dixit Hippocra. libro 5. aph. aph. 49. in sinu dextro matricis masculos procreari, fœminas autem in sinistro, sed non sunt loca illa quæ verè faciant hanc differentiam sexus, sed semen est, vt diximus, atq; menstruum hoc vel illo modo qualificatũ; si enim ita valida ista principia sint vt Cor præ cæteris aliis membris ita validum generare possint, vt partes omnes genitales valeant ab hoc extra corpus expelli, mas generabitur. sin minus fœmina & propter hoc etiam credendum est statim post Formationem Cordis sexum apparere distinctum, non ante, vt quod illius efficiens causa genita ante non sit; at dicuntur illa loca facere ad generationẽ Maris, vel fœminæ, quia verissimè tunc fœmina generatur perfecta, quando semen ac menstruum aptum pro generanda illa in locum sinistrum ceciderit ac item perfectus nascetur masculus quando cum ipso menstruo semen calidius in dextro latere efformatum fuerit. si enim contra eueniat, mas vtiq; etiam efformabitur, sed semiuirilis quodammodo, albus, timidus, imbecillis, venusta facie, voce gracili, & imberbis ferè. quæ omnia contingunt ob additam frigiditatem semini illi ab illa parte, vt dicit Gale. 14. de vsu par. at si contra fiat nascetur mulier Audax, nigra, robusta, vultu indecẽti, grauiori voce, & fere barbata, quam nomine proprio Viraginem vocãt. & hæc postea vt semiuirilis ille sterilis est vt dixit Arist. 2. de generat. anim cap. 5. quare maximè est obseruanda positura corporis in muliere ipsa postquam semen virile receperit Vtero; ac tutior illa videtur esse quæ in latere dextro fit vt supra diximus (corpore semper aliquantisper benigniter flexo) ni clarissima signa præfuerint ex genitorum temperamẽto, aut aliis

quibusdam

quibusdam indiciis certissimis fœminã illam fore, tunc enim super sinistro latere positura fieri debet, vt semper illa vitanda est, quæ modo supino fit; quoniam cum maneat tunc semen in media parte vteri, non fit absolutus mas, aut fœmina, sed vterq; simul qui Hermaphroditus dicitur, cum enim attrahatur, tunc nutrimentum, tam à dextra vteri parte, quã à sinistra fit, quòd ob mixtum illum calorem cum frigore promiscuus sexus reprehesentetur, vt patere potest ex mulieribus Lunensium, (vt inquit Pierius) quæ nil curantes post seminis conceptum, hanc posituram, plures Hermaphroditos generant, qui deinde cum possint virum agere, atq; mulierem, seuerissimè illos puniri certissimum est qui iurauerint se tantũ velle munus obire viri, ac postea se viris fœminarum more subiiciant; vel si contra fuerit iuramentum, agere virum reperti sint, ex quibus patet non omni quaq; verum esse si contingat aliquem habere gemina genitalia semper hoc ratũ esse illud irritum, vt Arist. 4 de generat. anim. cap. 4. dixit: cum præsertim nouerimus alios quosdam Hermaphroditos esse, qui in vtroq; sexu omnino impotentes sunt: sed de his hæc hactenus dicta sufficiant.

Quibus modis cognosci possit an mulier vtero gestet masculum vel fœmellam. CAP. XI.

QVIA verò multi sunt qui desiderãt scire, an dum mulier grauida est gestet vtero masculum vel fœmellam, iis hoc facile innotescere poterit ex temperamento viri, atq; mulieris, vt superiori cap. dictum est, sed quoniam non omnibus datum est posse cognoscere temperamenta principiorũ generationis, aut illa pœnitus obseruare quæ masculorum, vel fœminarum causas esse diximus, idcirco trademus nunc signa quædam, ex quibus & si non semper vt plurimum tamen in cognitionem sexus quiuis facillimè deuenire poterit. Illud verò est inter cætera præcipuum signum ab Hippocra. positum 5. aph. aph. 42. id est, mulierem prægnantem bene coloratam gestare masculum, malè autẽ fœminam, cuius rei

causa in aliud tribui nequit nisi quia signum manifestum affertur de prædominante caliditate, & si nimis tutum non sit hoc indicium, vt ibi Gal. inquit: 2. autem prædictionum idem Hippocra. aliud signum afferens dicebat, tunc mulierem vtero habere masculum, si in parte sinistra corporis, pateretur aliquod vulcus, fœminam autem si in dextra; hocq; facile euenire credendum est, quoniam propter vulcus sinistrum pars illa debilitata nil contra dextram potest, vnde robur seruans sui caloris generarare marē facile potest; ob contrarium autem vulcus fœminam: libro item de superfœtatione dicebat, si dextra mamma prægnantis fuerit maior quàm sinistra, indicium esse masculum gestari in vtero, at si aliter res se haberet fœminam; ex consensu enim quem mammæ habent cum dextra, ac sinistra parte ipsius vteri, vt dicunt omnes, illorum fides sumi posse videtur: At libro de sterilibus isthæc dicit, Quæcunq; vtero habentes maculam solarem in facie habent fœmellam gestant quæ verò sunt bene coloratæ masculū, & si papillæ sursum conuersæ fuerint mas est, si deorsum fœmina, deinde inquit, Accipe lactem & cum farina forma pastillos, quos dum assabis ad lentum ignem si comburi videbis mas est in vtero, at si diffundetur fœmina; amplius contemplare lac mulctū super folia, & si condensetur mas erit sin minus fœmina; quæ omnia cū pluribus obseruata fuisse nouerim, vt plurimum semper erroris plena fuisse audiui. Gale. loco superius citato dicit, mares moueri pluribus, & validioribus motibus quàm ipsæ fœminæ, sed huic signo nimis etiam fidendum non esse asserebat. Auic. in lib. 3. fen. 21. cap. 11. dicebat mulierem (quæ masculū gestat) plus coitum odere, quàm si haberet fœminam, & ibidem asserebat, si fœmina in vtero fuerit appeti multo plura à prægnante matre, quàm si masculus gestaretur; sed cum parata fuerint subita illorū satietate illam affici: & in ca. 13. dicebat mulierē habere in vtero masc. si à parte dextra se mouere incipiat, at fœminā si à sinistra; vt de pulsu est qui si plenior, & frequētior fuerit in parte dextra marem significare dicit, si in sinistro fœminam, quod similiter in oculorum motu manifestatur; quia si dexter ve

ter velocioris motus fuerit, quàm sinister, certissimum ferè signũ est conceptum masculum esse, cum omni alio tempore semper hic dexter oculus, sinistro tardior sit, vt inquit Arist. 31. probl. probl. 25. & hæc omnia cum referãtur in maiorem caliditatem partis dextræ signo etiam esse possunt, partem vteri dextram cõceptum in se habere, in qua masculos diximus procreari (& si propter Viraginem hæc quoq; fallere possint vt dictum est.) Idẽ autem Aristot. 7. de hist. anim. cap. 3. dicit masculum in latere dextro spacio 40. dierum sentiri, fœminam autem circa 90. in sinistro. Erotis in lib. de passionibus mulierum, in cap. 14. dicebat, si in aqua Fontis immitterentur duæ vel tres guttæ lactis de latere dextro quæ fundum peterent, signum esse masculi, qui deportatur in vtero, at fœminæ si supernatarent. Quidam alij sunt qui dicant si percoletur vrina mulieris prægnãtis per pannum lineum solere postea in illo panno adnasci quædam insecta similia pediculis, quæ si rubeo colore fuerint, indicium esse masculi, fœminæ autem si albo: alij verò obseruãt in vrina pregnantis grana quædam ascendentia & descendentia quæ si figuræ rotundæ fuerint indicare masc. dicunt sin minus fœm. Onirocritæ credunt tũc firmissimè mulierem parituram masculum hominem, quando intellexerint illam prægnantem se somniasse euasisse virum, at si contra somnium fuerit fœminam. Sunt alij qui dicant leuem tumorem crurum, & inguinum fœminam certissimè indicare: nos contra euenisse obseruauimus in tumore pedum: sed omnia hæc vt sepissimè fallunt illud verissimum signum est de futuro masculo si corpus prægnantis mulieris agile ad motum fuerit atq; illius ὑπογάστριον, & venter imus, sit paruus & cum rotunditate quadam desinens in acumen: sumitur enim per hæc indicium de caliditate prædominante, vt de frigiditate si prægnans ad motũ fuerit tarda, & ventrem habeat magnum, ineptæ figuræ, & obtusæ. Aegidius sic marem vel fœminã in vtero esse significabat

Conceptum maris insinuat splendor faciei
Membrorum leuitas spissi concretio lactis

Atq; tu

Atq; tumor ventris in dextra parte rotundus;
Fœmineum sexum contraria signa demonstrant.

Multa item alia sunt quæ superstitiosè nimis à mulierculis obseruantur, quæ vt fallacissima prætermitto; illud tantum cōmemorabo quod à Liuia factum fuisse scio, quæ dum gestaret in aluo, affecta cum esset maximo desiderio cognoscendi an marem vel fœmellam vtero haberet, subduxit ab incubante gallina ouū vnum, ac tantum suis, ancillarúmq; manibus fouit, vt pullū masculum inde natum vidit ex quo postea semper dixit se pariturā marem & non decepta est, cum paulo post edidisset in lucem Tiberium Cæsarem: sed quoniam facillimè cognosci potest, an ex ouo pullus masculus, vel fœmina, nasci debeat, vt ex Arist. patet 6. de histo. anim. cap. 2. hinc liceat coniectari, istud experimentū verax esse non posse, cum ad libitum nostrum oua possimus eligere quæ mares & fœminas ostendere nobis valeant: sed iam de similitudine filiorum ad parentes agendum est.

Quomodo fiat similitudo filiorum ad parentes. CAP. XII.

SVNT verò quidam, qui non tantum mares vel fœminas procreare contenti sunt, sed omnino etiā desiderant hos tales mares, vel has tales fœminas, & vt dicam sibi per quam simillimos filios parere; quibus vt satisfacere possimus primò inuestigandum est, quomodo similitudo huiuscemodi cōparetur, ne nil pœnitus desit ad perfectam generationem ipsius Hominis. Aristo. 4. de gene. ani. cap. 4. ponit in semine plures motus quorum inquit aliquos actu esse, aliquos autem potentia, & qui actu sunt, vel esse particulares, vel vniuersales: & eos esse dicit qui generandi mares & tales mares facultatem habent in se: vniuersales autē qui generare hominē vel animal solum possunt, at quos in potentia esse vult illos dicit ex parte fœminæ prouenire & ex parte auorū, & pro auorum tam illius quam viri: ac supponit deinde si aliqui ex istis

motibus, actu vel potentia existentes deficiant, in motum proximum transire, ac tandem in contrarium desinere, & vltimò in vniuersalem, vt si v.g. primus motus qui actu est in semine Patris, habẽs facultatem generandi marem sua operatione frustretur ob fortẽ reactionem ex matre, (sicut superius dicebamus) tunc solutũ illum motũ transire in proximiorem vult, id est, in eũ aui, & deinde in illum proaui, & sic eos qui potentia erant, fieri actu, vt generetur omnino masculus; quòd si & hi suscitati motus non potuerint procreare marem, soluti cum sint, abire dicebat in contrarios motus, (qui sunt similiter in potentia) ac primò illũ ex matre manifestari, qui fœminam generare vult, & si iste soluatur trãsire dicit in illũ auiæ suæ, & matrẽ istius, vt procreetur inquàm fœmina ipsa: qui etiam motus si euanidi fiant, vniuersales eos aduenire asserebat, per quos vel homo fieret vel animal absolutè: & sicut de sexu diximus ita etiã euenire de similitudine intelligendum est; quia in semine Patris ex illius opinione est motus quidam quo talem hominem querit facere, ac reddere illi similem, qui motus si in Patre soluatur suscitantur postea ij Auorum, & Proauorum, vnde sepissimè videmus natos representare illorum similitudinem, at si solui contingat & hos, fit statim transitus in illos matris, vel Auiæ, & aliarũ maiorũ, & tandem in vniuersalem cũ homini tantum similis fiat; & quoniã etiam aliquando esse potest, vnum motum seminis præualere, alterum autem non, ideo mirandũ non est si mares nascantur quandoq; similes matri, & non Patri, & è contra etiam: & sicut seminis partes, sunt diuersarum virium, quia 2. eiaculatio est debilior prima vt supra diximus ex Gale. ideo hinc etiam fieri potest quòd vna pars ipsius nati similitudinem eiusdem partis in Patre habeat, alterius autem partis in Matre, vt potest eodem loco elici ex Arist. Semen igitur cum sit causa similitudinis modo quo dixit Arist. vt iam vidimus, debemus illud ita dispositũ reddere, vt validũ ita sit in illo 2. motu, vt vinci nequeat ab illo fœminæ, & hoc fiet meritò maioris caliditatis & coctionis, vt idem Arist. ibi dicebat, sicut de altero 1. motu fit, qui pro sexu facit, atq;

cit, atq; hinc ratio facillimè reddi potest cur iidem met genitores filios pariant quandoq; dissimilimos inter se, & cur inter tot millia hominum duos perquàm similes inuenire impossibile ferè sit; Cum enim gradus caloris in semine parentum quotidie permutentur, & nunc intensiores nunc remissiores fiant ob occurrẽtes diuersissimas causas, certissimum inde est, motus illos similitudinis in filiis suis varios ac diuersos etiã reddi, id quod, quia nõ sic contingere potest in Gemellorum generatione, ideo illos tantũ videmus simillimos esse sibi, & si etiam aliqua notabilis differẽtia semper in iis conspici liceat ob diuersitatem temperamenti quæ reperitur inter vnam seminis eiaculationem & alteram, vt pluries diximus ex Gale. Et quoniam semper Homo magis distat ab Homine, quàm idem à semetipso & quibuscunq; Hominibus est proprium ac peculiare temperamentum, ideo qui nascuntur ex his hominibus sunt semper sibi dissimiles, omnes naturæ suæ insequentes semina: quoniam verò & in effigie vultus, ac similitudine corporis ita differunt Homines inter se, ideo etiam ingenio ac moribus differentibus eos esse, necesse est ex Gal. mente, qui quidem mores erunt optimi in illo homine, qui corpus suum optimè temperatum habuerit, quod tale erit si bene formatũ sit, quod iam pulchrum est; Studeant igitur Parentes temperamento sui seminis, si decoros ac sapientes filios volunt, cuius rei fidẽ faciant ij qui post purgatum corpus attenderunt generationi; sic enim ferè humoribus adæquatis & ad temperiem etiam redactis pepererunt sibi pulcherrimos filios, animo, & corpore, vt obseruare cuiq; licitum est: quòd si quandoq; corruptos mores in pulchro corpore, optimos autem in turpi ac deformi videas, tunc ob assuetudinem, Naturam fuisse cõmutatam dicendum est, vel id potius tribuendum est in Imaginationem Parentum quando conceptus fiebat: hæc enim profectò tanti esse potest, vt quãdoq; etiam impedire valeat istum motum Naturæ; vt si dum quis attendit generationi ita temperatum habeat semen, vt pulcherrimũ hominem generare possit, excogitatio tamen illius super aliquod turpe corpus, facillimè causare potest, vt ille seminis motus

impediatur

impediatur, illo adhuc temperato existente, vnde et si postea genitus Homo sit turpis, est temperatus tamen atq; ad obeundas actiones corporis aptus, vt etiam ad bonos mores: & sic est cõtra de pulchro corpore prauis imbutũ moribus, quare videmus iam quod & in concipiendo semine maxima cura est habẽda de Imaginatione & cogitatione ipsa, cũ hæc impedire valeat proprium motum Naturæ, vnde videmus sæpe natos ipsos non repręsentare parentes, auos, vel proauos, sed pœnitus externis, & ignotis similes fieri ac quod magis est Imaginibus ipsis depictis, vnde Empedocles ille Pythagoreus totam vim similitudinis in Imaginatione ponebat: ac etiam Aristot. 10 probl. probl. 12. reddens rationem cur Partus Hominis ita dissimiles inter se videantur esse, inquit hoc euenire quoniam Homines in generando vario, vagoq; sunt animo: quasi velit natos iis similes fieri quos genitores animo versabantur, dum illis operã dabant, oblitus ferè motus suos; Istud item cum Plato quoq; considerasset iubebat 7. lib. de suis legibus in actu Venereo sponsum, & sponsam inuicem se attendere, vt deinde in illorum filiis ipsorummet similitudo elucesceret ne viderentur degenerasse, cum ij degenerare dicantur qui Parentum suorum non repræsentant vllam similitudinem, vt dicit Aristo. 4. de gene. anim. cap. 2. si quis igitur dum suam mulierem complectitur brachiis, animo etiam cõplectatur, & factus conceptus postea sit, credendum est natum similem fore Matri, si hæc in generatione illius, illi solum negotio attendebat, at si è contra fuerit, patri similem omnino reddi opinamur: verum si se inuicem deosculentur animo, vt ore faciũt, mixtam amborum similitudinem apparere post in Infante quiuis facillime viderit, vt nullorum si Veneris tantum cogitabundi sint: omnium autem aliorum si tunc de his cogitatio fiat, vt ex hist. Gale. patet quam ponit lib. de Theriaca ad Pisonem ca. 14. Quam cum fortè sciuisset Vxor illa Sabini, ne filium quẽ concipiebat ex Adultero suo, videretur à marito degenerare, de isto solùm cogitabat dum complectebatur Amicum: quod factũ sic pulcherrimè cecinit Thomas Morus,

Quos ante coniunx quatuor
Natos Sabine protulit
Multum ecce dissimiles tui
Tuos nec ipse deputas,
Sed quem tibi puellulum
Enixa iam nuperrimè est
Solum tibi simillimum
Pro quatuor complecteris,
Adulterinos quatuor
Vocas repellis, abdicas:
Atqui graues tradunt Sophi
Quodcunq; matres interim
Imaginantur fortiter
Dum liberis datur opera,
Eius latenter & notas
Certas & indelebiles
Modóq; inexplicabili
In semen ipsum congeri
Quibus receptis intime
Simúlq; concrescentibus
A mente matris insitam
Natus refert imaginem:
Quum tot abesses millibus
Dum gignit Vxor quatuor
(Quòd esset admodum tui
Secura) dissimiles parit,
Sed vnus omnium hic Puer
Tui refert Imaginem
Quòd mater hunc dum concipit
Sollicita de te plurimum
Te tota cogitauerat
Dum pertimescit anxia
Ne tu Sabine incommodus
Velútq; Lupus in Fabulam
Superuenires interim.

Vnde etiam Phocididis dictum menda non caret dũ dicebat

Dissimiles gignunt stuprata cubicula natos:

Illa enim peperit filium similem suo marito quoniam de illo cogitabat dũ fruebatur adultero: & si igitur motus seminis plurimi faciendi sint propter similitudinem comparandam, vt dictũ est ex opinione Aristotelis, fixa tamen excogitatio potior causa videtur esse, quàm motus illi: id quod manifestum ex eo fit, quoniam si propter ipsam, motus ille primus qui est in semine inualidus reddi potest, & pro vt Imaginatio fuerit potest reddi conceptus vel mas, vel fœmina (vt inquit Conciliator in differentia 28) cur etiam motus iste 2 similitudinis impediri à cogitatione non poterit? Cum igitur Imaginatio atq; cogitatio ipsa videatur præcipua, ac potissima causa qua filios similes sibi potest vnusquisq; reddere, ea, obseruanda est quàm maximè dum quis attendit illorum generationi: sicut etiam dicemus pro notis & maculis, quæ plerunq; in infante conspiciuntur.

De Notis, vel Maculis quæ in infante conspiciuntur. CAP. XIII.

CAVSA qua Notæ & Maculæ appareãt in Infantibus facillima equidem scitu est, cum alia esse non possit quàm cogitatio fortis super visa re vel imaginata, vt dixerunt omnes, & ipsæmet mulieres fatentur; sed modus quo Nota excogitatæ rei elucescat in ipso Puero, valde dubius est; ac non solum satis est difficile ad cognoscendum, quomodo effectus hic ab illa causa procedat, sed valde arduum est mente consequi, cur potius in ista parte quàm illa vestigium istud, & indelebile appareat, & cur quandoq; non stigma tantum, sed res ipsa omnino efformetur, ac quare æsculenta solum vel poculenta in Puero imprimantur, & nulla alia; Hæc enim omnes visi sunt præterire; Nos (vt nunc poterimus) his omnibus breuiter satisfacientes, dicimus, propter continuã

insitionem & dependentiam quam fœtus habet à Matre, facile fieri, vt, quod illa fortiter meditata est, in illo apparere possit; & ratio est, quoniam, cum mulier afficitur ingenti aliquo desiderio consequendi aliquod æsculentum vel poculentũ, clarissimum est, formam rei illius desideratæ sic in spiritibus suis manere, vt in aëre manet quæuis species & imago; & quia spiritus qui sunt in Fœtu dependent à spiritibus Matris, & continui illis sunt, hinc fit, hos etiam in se suscipere formam rei illius, ab illa excogitatæ: verum sicut species per aërem multiplicata apparere non potest, nisi in aliqua parte aëris terminati, idem similiter de imaginibus iis euenit, quæ in spiritibus illis sunt; quare & hi terminum acquirant oportet, si ipsæ repræsentari debeant: quòd verò huiusmodi spiritus illum terminum quandoq; possint acquirere, hinc pateat, quia dum Mater habet in se speciem rei quam continuo præmeditatur, facile fit, vt, sui corporis aliqua parte contacta ad illam concurrentes spiritus propter impetum factum, terminum consequantur: & quoniam alterationes & motus qui in parte aliqua corporis prægnãtis mulieris facti fuerunt, fiunt etiã in eadem parte in conceptibus ipsis, vt elici potest ex Hippoc. dũ libro de Genitura dicebat, quòd si mulier in aliqua parte corporis passa sit, in eadem etiam relinquetur vestigium in Infante, ideo in loco vbi spiritus terminarunt in Matre, propter contactũ in illo præstitum, ibidem in Fœtu similiter terminabunt: verum sicut in quocunq; loco, vbi terminat aër non possunt repræsentari species, sed in eo tantum qui detersus est & politus: ita, quia caro matris aspera, & dura iam facta est, non potest in illa apparere quod fuit excogitatum, sed facile quidẽ elucescit in carne illa tenerrima ac mollissima Embrionis, vt in Speculo quodã leuissimo & lucidissimo, vbi profundè cũ sit impressum, propter motum illum fortem spirituũ, indelebile postea omnino est; & sic iam habemus quomodo Maculæ in infantibus fiant, & cur potius in ista parte quam illa, & cur indelebiles. Sed quî fieri poterit, si species sola rei in anima sit, vt res quandoq; omnino similis excogitatæ conspiciatur in Puero efformata? vt in pede, Cerasa? profectò

profectò credimus nos, istud interdum posse euenire, quia tanta vis cogitationis aliquando est, vt motus omnes in semine existẽtes & sexus & similitudinis impediri possint, vt superioribus cap. dictum est; modo si portio aliqua materiæ, quæ efformari debet, spiritibus iis referta sit, qui in se habeant imaginem illã illo modo acquisitã ex Matre, vt dictũ est, fieri potest, vt virtus Informatiua ex parte illa rem excogitatam efforinet, altero motu naturali impedito; vnde colligitur istud tantum posse contingere primis temporibus Fœtus, cum post efformatum Puerum nulla alia materia relinquatur quæ possit suscipere formationem imaginatæ rei (vt obseruatum est) sed solum speciem illius ob leuitatem ac mollitiẽ carnis, vt diximus. Quòd verò ea tantùm imprimantur in Fœtu, quæ æsculenta & poculenta sunt, mirum esse non debet, quia cum viuat vt animal, ab iis tantum affici potest quæ ad illius conseruationem faciunt, vt est cibus ac potus; vel ad eius detrimentum, de quibus dixit Hippocr. libro superius citato: & Hæc sat sint de obscurissimis his quæstionibus.

De Geminorum generatione, Superfœtatione, & Monstris. CAP. XIIII.

QVONIAM hucusq; actum est de iis quæ secundum Naturam, & vt plurimum fiunt, nũc isto cap. agendum est de iis quæ Naturæ limites videntur excedere, vt est Generatio pluriũ, Superfœtatio, & Monstra: & quia non solum à natura Hominis alienum est edere numerosum Partum, sed Geminos etiã, vt dixit Arist. 10. probl. prob. 30. ideo sat erit tetigisse de his: non enim necesse est Naturã sic esse sollicitã in multiplicando hominem per Geminos, & Tergeminos (ne dicam numerosiores) cũ nullum immineat periculum posse sic breui speciem illius deficere, vt multis aliis speciebus imminet, vel propter vitã illarum breuem, vel quia multorum præda facile esse possunt, quibus solis profectò multiplicatione huiusmodi opus est, vt dicebat Gal. libro 14. de vsu par. Sed cũ tamen sæpius id in homine contingere videatur,

quærendum

querendum est vnde fiat hoc. Asclepiades dicebat quod Gemini Partus, vel numerosiores procedunt ob maximam præstantiam ipsius seminis; quia sicut videmus, ex grano vno frumenti duas, tres, & plures etiam spicas nasci ob bonitatẽ illius, ita & de semine viri euenire posse dicebat, cui quidem sententiæ assentimur & nos, dum modo cum illa præstantia seminis debita quantitas eius adsit, credendum enim est virtutem efformandi vnum Hominem consistere in certa quadam portione illius vna cum menstruo (quod dixit Arist. 4. de generat. anim. cap. 4.) quæ quidem portio & si maximam latitudinem habeat, si excedat tamẽ terminos ita, vt pro efformando vno homine adhuc superabundet, Natura tũc molitur hominẽ alterum, quæ si non satis sit, Agnationes tunc illas facit de quibus Aristo. loco nuper citato dixit: vel enim partes maiores nascuntur quã fuerit opus, vel in maiori numero, vel fissus inde conceptus apparet quod iam Monstrũ est, vt infra dicemus: at si pars abundantis materiei tanta sit, vt duo Homines efformari valeant, tũc si findatur, & in duos Vteri sinus cadat, & sinus alter ad alterum non hiauerit, vt inquit Hippoc. lib. de Natura Pueri, duplatur Informatiua Virtus, & Gemellos vt vnum procreat; qui quidem tunc cognoscentur esse in vtero quando circa eminentias osculi ipsius Matricis tumores duo apparuerint, vt inquit Hippocr. lib. de Coacis prænotionibus: sed ex inspectione corporis prægnantis mulieris id plerunq; coniicitur, cum bipartitum ferè appareat. Vnusquisq; autem illorum propriis membranis inuoluitur si differentes in sexu sint: at si fuerint ambo mares, vel fœminæ Chorion vt plurimum illis commune est. An verò ambo mares, vel fœminæ sint, aut vnus mas, alter fœmina ex signis, & causis supra allatis tute cognoscere poteris: quomodocunq; autem in sexu discrepẽt, semper tamen in effigie sibi similes erunt vel ob vnicum motum in semine factum, vel quia in forti eadem cogitatione ambo fuerunt concepti, vt etiam supra diximus; Non est autem quòd dubites quomodo vno initu Mas, & Fœmina generari possint, cum videatur semen tunc se habere eodem modo in caliditate; & frigiditate;

seræ enim

sæpe enim diximus eiaculationes seminis valde inter se differre. Hoc quidem est obseruatum quòd si mas cum fœmina nasci contingat, alter horum moritur semper, si non ambo, vt etiam dixit Aristo. 4. de generat. anim. cap. 6 Causa cuius euentus est, quòd cum simul non perficiantur in vtero propter illorum diuersum temperamentum, fit, vt iam perfectus mas exiens, egrediatur etiam fœmina, quæ non existens perfecta, vt deberet esse, externis rebus facile non resistens, obit: at si mas post sui perfectionem moretur in vtero, donec perficiatur fœmina, maximè & illum pati contingit, vnde in lucem editus debilis, moritur paulo post. & sic se inuicem impedientes, vterq; quandoq; parũ superstes fit; licet aliquando non Vopiscos tantùm, sed ambos etiam sic superuixisse obseruauerimus.

Verum si præter naturam est vno & eodem tempore plures fœtus gestari in vtero, maximè præternaturale erit si superfœtationes fiunt quas Hipp. li. de superfœtatione testatus est quandoq; factas fuisse & Arist. 7 de hist. anim. cap. 4. licet enim post factum conceptum ita claudatur ostium Matricis, vt ne acicula quidem ingrederetur, vt Herophilus dixit, esse tamen potest, vt aliquando nouus conceptus fiat super illum, atq; perficiatur, sed post paucos dies à primo tantùm, vt de Hercule, & Iphicle dixit ibi Arist. at si fiat post multos dies (quod rarius cõtingere potest) tunc vel à primo fœtu iam grandiori totum alimentũ assumitur, vel si non assumatur, tãta est exilitas & tenuitas venarum quæ Chorion secundum contexunt (maiores enim ac fortiores abiisse in primum fœtum credendum est) vt vel iis abruptis necesse sit superfœtatum excidere ante tempus, vel ob Alimentum paucum perire: more igitur leporũ quandoq; potest superfœtare mulier, & si rarissimè id contingat ac præternaturam maximè illi sit. Sed naturæ limites præ cæteris omnibus illa excedunt, quæ Monstra appellantur, inter quæ non solum ea reponũtur quæ toto genere differre videntur à specie Humana, vt sunt Lucij, Serpentes, & quæ Romæ appellantur à mulieribus Grappæ (hæc enim animalia quædam sunt ad similitudinem cuiusdam

Cancri, quæ in partu quandoq; solent emitti cum Puero, & si tetigerint terram auelli non possunt, hancq; miram proprietatem habent quòd Puerperæ ipsæ illis commoriuntur, vnde in Partu ponunt pannos sub eorũ pedibus, ne fortè si hæ Grappæ fiant terram contangant, id quod in Hispania obseruari etiam audimus, vbi huiuscemodi Feræ sic illas vocãt, in quãtitate plurima sunt, vt testatus est Ludouicus Bonacciolus) sed illa etiam Monstra dicuntur quæ in aliqua parte tantum figuram Humanam non repræsentant, vt si quis leporino vultu, vel pedibus capræ fuerit natus, aut alio quodam modo figuram Hominis non seruauerit, quorum multam varietatem poteris videre apud Arnaldum Sorbinum. Ea itidem appellantur Monstra quæ fiunt per coagmentationem in maioribus, ac præcipuis partibus corporis quæ & fissiones etiam dicuntur, vt si quis duobus capitibus natus sit, vel pluribus renibus, & huiusmodi aliis. Quæ etiã habẽt transpositas partes monstra vocãtur, vt lienem suum in parte dextra hepar verò in sinistra, de quibus Arist. egit 4. de generat. anim. cap. 4. & inter ista forte Fœmina poni poterit cum & hæc Mõstrum sit, vt patet ex eodem Aristo. locis aliâs citatis. Sed quomodocunq; Monstra fuerint facta ad vnam ex quinq; causis reducere poteris, ad quas reducebat Empedocles, id est, ad errorẽ in Formatione, ad Agitationem factam in semine, ad Diuisionẽ illius, ad Exuberãtiam & ad Defectum. Et hæc sufficiant de Generatione, & Partu Hominis.

FINIS.

LAVS DEO.

Index rerum notabilium.

ABORTVS non dici debet qui ante. 9. mensem venit in lucem. fol. 32. pag. 1
Abortus qui propriè sit dicendus. 21. 2
Adulter ex viro qui fiat. 38. 1
Aër in concubitu cur Vterum non debeat ingredi. 39. 1
Aegyptij quomodo pingerent actum venereum. 6. 2
Aegyptij cur mare odio haberent. 38. 2
Agrippæ qui dicantur. 25. 1
Albumasar quid crediderit de nodis vmbilici. 21
Alcmæon defenditur quandò dicit fœtũ per poros cutis nutriri. 11. 2.
Alcmæon credidit semen esse partem cerebri. 6
Alphæstare quid sit. 7. 2
Amphion Turcarum maximus stimulus ad venerem. 38. 2
Andramytes Lydorum rex castrare mulieres faciebat, ne filios possent parere. 10. 2
Anicularum obseruatio circa ortum infantium cum membranis in capite. 12. 2
Annus scalaris qui sit, & cur periculosus. 30
Antiquiores cur filiis suis nõ imponerẽt noĩa ante 7. diẽ. 30. 1
Arescusa mulier facta est vir. 3. 1
Auerrois vicina deluditur. 10. 2
Auic. lapsus circa semen mulierum prægnantium. 11. 2
BRutum animal cur habeat certa tempora pariendi. 32. 2
CAesalpinus quomodo crederet à corde venas oriri. 14. 2
Claudi cur maxime salaces. 5. 2
Coitus est breuis quædam epilepsia. 7. 1
ante Coniunctionẽ q̃ & quanta comedẽda, aut bibẽda sint. 38. 2
Cor efficiens causa sexus. 42. 2
Cor in principio sui ortus pendet drachmas duas. 16. 2
Corpora repleta cur non sint disposita ad generandum. 37. 2
DIes antiqua erat. 7. mensium. 29. 2
Dies antiqua erat 9. mensium. 31. 1

N 2 Diogenes

Diogenes quando vellet semen, & hominem animari. 7.2
Dissimilitudo in filiis degeneratio quædam est. 46.1
EFfluxus qui dicatur. 21.2
Elementa non sibi contrariantur dum sunt in mixto. 20.1
ἐμβρύων quid proprie sit. 21.2
Euriphon Gnidius nullos partus sept. esse vitales dicebat. 35.2
FAbula Veneris captæ cum Marte moraliter explicata. 6.2
Fœmina qua ratione fuerit generata & quomodo. 3.1
Fœmina generatur à 5. die vsq; ad 8. post purgatos menses. 41.2
Fœmina supino corpore nascitur. 25.1
Fœtus in vtero dormit. 25.1
Fœtus in Vtero est causa morbi. 27.1
Fœtus qui propriè dicatur. 21.2
Fœtus in Vtero quomodo ab Aegyptiis ostenderetur. 29.1
Fœtus in vtero quomodo ostenderetur à fabulatoribus. 31.1
Fœtus similis concoctioni quæ fit in stomacho. 32.1
Fœtus similis ebrio. 25.1
Fœtus similis fructui dum coniungitur arbori. 32.1
GEminos generare cur homini naturaliter nō cōueniat. 48.1
Gemini cur sibi aliquo modo dissimiles. 45.2
HErmaphroditi quomodo generentur. 43.2
Herodotus putauit semen Aethiopum esse nigrum. 5.2
Homines fugientes complexū mulierū quomodo punirētur. 2.2
Homines in effigie vultus cur sibi dissimiles. 45.2
Homo Mundus quidam est. 21.1
Hora aptior pro generandis filiis quæ sit. 38.1
INformatiua virtus quot noībus à Gal. fuerit appellata. 7.2
Ioannis Lalamantij opinio refutata. 32.1
LAcedæmoniorum mos ad incitandum homines ad complexum mulierum. 2.1
Lactucæ species generationem impedit. 39.2
Lepra ex qua causa fiat. 38.2
Lepra quo tempore appareat. 38.2
Libido quomodo refrenari dicatur ratione testium. 5.1

Liuia quomodo cognosceret an vtero gestaret mas. vel fœ. 44.2
Lucina cur in Partu vocetur. 29
Lucius Cossitius ex fœmina factus vir. 31
Lucius Papirius natus mense 13. 33
Luna quarum Crisium causa sit. 27
Lunenses mulieres cur plures Hermaphroditos generent. 43.1
MAsc. efformatũ in latere sinistro quas notas habeat. 42.2
Mas. gñatur à 1. die vsq; ad 5. post expurgatos mẽses. 4.2
Masc. prono corpore nascitur. 25.2
Melancolici cur maximè sint salaces. 5.2
Menstruum cur ad vterum vadat. 8.1
Menstruis fluentibus cur non attendendum generationi. 8.1
quo Menstruo opus sit pro generatione Hominis. 8.2
Mensibus omnibus à 5. vsque ad 15. nascimur vitales. 32.2
Menstruis retentis quæ symptomata accidant. 9.1
Mora fœtus in vtero nulla assignari potest. 35.1
Modus concumbendi aptus pro generatione qui sit. 39.1
Mulier agens annum 18. coniungenda viro. 47.1
Mulier est primum monstrum in specie hominis. 3
Mulieres fœcundæ cuius conditionis sint. 37.1
Mundus creditus pulchrior quia homines diuersis temporibus nascuntur. 26.2
NMulieres facile posſũt accipere 9. mẽsem ꝑ 8. 7. ꝑ 6. 34.2
Erui cur fissiles sint. 17.2
OCtauo mense nati multi superuiuunt. 34
Occasio quæ sumitur ex parte mulieris pro generãdis filiis quæ sit. 38.1
PApauerculũ quomodo ex hepate labatur ad intestina. 32.2
Papauerculum quod dicatur. 23.1
Partus naturalis qui sit. 24.2
Partus præternaturales qui sint. 24
Partus quid sit. 27.1
Partus insequitur motum Lunæ. 27.2
Phileta Cous qui fuerit. 41.2

Phætusa mulier barbam mento habuit. 9.1
Pincerna Henrici Regis Gallorum natus mense quinto. 32.2
Pinguedo cur fiat in iis qui non vtuntur venere. 4.2
Plato cur diceret semen esse animatum. 7.2
Polybus volebat venas ortum ducere à cerebro. 14
Positura corporis in muliere quæ esse debeat post receptum semen. 43.1
Postuersa Dea præerat Partui præternaturali. 25
Prosa Dea præerat partui naturali. 25.2
Proportio inter quatuor humores quæ sit. 24.1
Pulchri homines cur bonis, & prauis moribus esse possint. 45.1
Pulchritudo quomodo comparetur. 45.2
Puer in vtero quando dicatur. 21.2
Pueri cur afficiantur voluptate ex fricatione pudendi. 5.2
QVadragenarios circuitus non esse causam Partus. 33.1
Quarta luna nati qui dicantur. 38.1
REaldi lapsus quod acetabula matricis venirent à spermaticis vasis. 11.2
SAl maximus stimulus est ad venerem. 38.2
Sal fœcunditatis causa.
Saliceti opinio de nodis vmbilici. 12.1.
Saliuam ieiuni hominis Scorpionem occidere quid sit. 31.2
Saturnus alligatus laneo vinculo quid significet. 31.1
Sanguis in Hepate non est extra venas. 14.1
Scaliger non bene sensisse videtur de vtero. 3
Scrophulæ à quibus sanentur solis verbis. 30.1
Semen prægnãtis mulieris cui rei deseruiat dũ in vtero est. 11.1.2
Semen cur eiaculetur quandoq; colore sanguinis. 4
Semen cur longè eiaculetur. 5.2
Semen est spuma quædam. 5
Semen mulieris non habet vllã proportionẽ cum menstruo. 10
Semen mulieris cur debeat in generatione concurrere. 10.2
Seminis primæ eiaculationes calidiores secundis. 39.1
Semen viri semper masc. procrearet. 41.2

INDEX.

Semen vt generationi inseruire possit quomodo esse debeat. 35.2
Semen debet redolere flores sambuci. 36.2
Septima dies cur fortior sit cæteris aliis diebus criticis. 28.1
Septennarij numeri vires. 30.1
Sol quarum crisium causa sit. 27
Sexus non habet vllum tempus determinatum. 33
Sexus quando distinctus appareat. 42
Spiritibus retentis cur augeantur vires. 17.2
Sponsus & sponsa cur se inuicem attendere debeant in actu venereo. 46.1
TAbella Pythagoricorũ pro generãdis filiis quę fuerit. 40.2
Testes cur vrinam feteant. 4.2
Timeus volebat homines semper nasci in 12. mense. 33.1
Testis dexter ligatus hora conceptus fœminarũ causa, vt masculorum sinister. 42.1
Tyresiæ iudicium de voluptate viri & mulieris in coitu, quomodo verificetur. 9.2
VAriolæ, & morbilli cur infantibus accidant. 22.2
Vbera grandiora cur fœcunditatis signum. 37.1
Veneri cur non semper sit indulgendum. 38.1
Vir cur sit duriori carne quam mulier. 41.2
Vir natus annos 36. mulieri coniungendus. 41
Vrina reddit fœcundas vites. 40 1
Vtero gestare est morbus. 27.1
Vterus non est necessarius pro formatione Hominis, sed pro nutritione illius. 22.1
ZEnobia nunquam viro coniungebatur nisi ante sciuisset se nõ esse grauidam. 34.2

FINIS.

Errata ex impressione sic corrigito.

In folio 4.pag.2.lin.25.legas euenit ferè de.in fo.5.p.2.li.34.problem.16.in fo.6.p.1.li.21.incipias ibi parenthesim (dummodo nō. in li.23.30 problematum ibi in pa.2.li.20.4.de sanitate. fo.7.p.1.li.1.(quibus refertissimū fo.8.pa.1.li.15.vt dicunt aliqui apud.ibi pa.2.li.12.ca.1.f.9.p.1.li.12.illud.ibi pa.2.li.3. nō legēda illa verba.6. de generati.anima.cap.18.fo.10.pa.1.li.13.cap.4.ibi li.28.cap.27.ibi.li.21.cap.35.fo.13.pa.2.li.34.generat.fo.14.pa.2.32.à solo Hepate.fo.15.2.18.cap.8.ibi li.20.tamē eundem. ibi li.28.necessarium fuit dari fo.16.pa.2.li.14.radicalem humiditatem. fo.19.pa.1.li.6.cap.27.ibi l.2.& 3.variari quandoq; accidat. ibi li.5.quoddam.ibi li.23.conflatur fo.21.pa.2.li.28. ἐμβρύων.ibi li.34.cū animali.fo.22.pa.1.li.23.isto enim.f.23.pa.2.li.4.de generatione anim.ibi li.17.fiunt,vt alij.fo.24.pa.2.li.15.15.de vsu par.cap.6.fo.25.pa.1.li.14.tunc temporis.ibi li.15.possimus.ibi li.23.ægro.fo.27.pa.2.li.12.sed qua.ibi li.22.cap.4.fo.28.pa.1.li.1.criticorū & Partus.ibi pa.2.li.28. Zodiaci vt dicebamus. fo.29.pa.2.li.8.& stimulata facultas. fo.30.pa.1.li.22.quid mali) fo.31.pa.2.li.30.31.vt etiam superiori cap.dicebamus.fo.32.pa.1.li.11.cap.2.& 3.ibi li.19.4.aphorismorum.fo.34.pa.1.li.30.prudentiores.35.p.1.li.23.cap.5.ibi pa.2.li.17.cap.18.ibi pa.2.li.28.lib.3.fo.38.pa.2.li.26.cap.86.ibi li.33.Gal.2.de.fo.39.pa.2.li.11.se habent. fo.40.pa.1.li.20.6.de hist.ibi pa.2.li.24.rarò isti.ibi li.25.sed vt plurimū.fo.41.pa.2.li.10.cap.7.fo.44.pa.1.li.4.& hæc ferè: ibi pa.2.li.25.cap.3.fo.46.pa.1.li.4.prauis imbuto.ibi l.21.cap.3.